51 023

COLUMBA
SPIRITUS SANCTI
HIEROGLYPHICUM,

hoc eſt,

ORATIO INAUGURALIS;

de manifeſtatione Spiritus Sancti, ſpecie Columbæ, ad Inaugurationem Ieſu Chriſti, mox ab ejus Baptiſmo è cælis facta,

QUAM

ABDIAS WIDMARIUS
S. Theologiæ Doctor & Profeſſor Ordinarius in Academia Provinciali, Groningæ & Omlandiæ,

DIXIT,

Groningæ in templo Academico XXIV. Iunii Ann. Chr. M. DC. XLV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GRONINGÆ,

Ex Officina *Iohannis Nicolai* Typographi, M. DC. XLVI.

...modum Reverendo & Clarissimo viro, Domino Andreæ Riveto S. Theologiæ Doctori Celeberrimo, Illustriss. Principis Auriaci Consili...

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, ET PRUDENTISSIMIS DOMINIS,

DOMINIS CURATORIBUS ET EXCURATORIBUS INCLYTÆ ACADEMIAE PROVINCIALIS, GRONINGÆ ET OMLANDIÆ,

De Re-pub. & literariâ meritiſſimis,

DOMINIS ET MÆCENATIBUS SUIS,

debitâ obſervantiâ colendis,

Omnem à Deo Opt. Max. Benedictionem p.

INprimis vobis eſt notiſſimum, Nobiliſſimi & Ampliſſimi viri, Domini & Mæcenates Honoratiſſimi, quàm multi ſint & varii τρόποι παιδείας, ſive *modi inſtutionis.* Æquè notum, quòd in his ſit inſignis, qui vocatur *Symbolicus*, quo certis ſymbolis, ſive ſignis externis, ceu ſimilibus ac teſſeris, res altiores compendiò declarantur ac confirmantur. Varius & hic eſt in omni diſciplina, adeoque non omninò improbandus, ſi modò dextrè inſtituatur. Paucis de hoc utroque, aliorum cauſſâ, aliquid præmittere, indeque ad inſtitutum pergere liceat. Commendat eam docendi rationem tum jucunditas & utilitas, tum perpetua autoritas. De illa nemo dubitabit. Quemadmodum enim Perſonæ, Res geſtæ, ſitus regionum aut urbium, & quæcunque hujusmodi ſunt alia, abſentibus longè diſtinctiùs referuntur, & jucundiùs ab iiſdem cognoſcuntur, ſi effigie, tabulis, delineamentis ac coloribus unumquodque ſuis exprimatur & conſpiciatur: ita lucem ac ſuavitatem omnibus quoque rebus, à ſenſu remotioribus, edocendis ac pernoſcendis, confert longè clariorem, cùm ſignis ac figuris appoſitis illuſtrantur ac percipiuntur. Præterea, *quomodo multa per vitrum, aut ſuccina pellucent jucundiùs; ita magis ſæpe delectat veritas*, teſte Auguſtino, *per hujusmodi ſpecula relucens.* Rhetores illud tradunt pleniùs, Ariſtoteles, Cicero, Fabius. Authoritatem perpetuam conciliat uſus ab omni ævo obſervatus, & publicè & privatim; in omni ordine & diſciplina; cum profanis, tum ſacris rebus; tam divinis, quàm paganis. Prætereo Dialecticorum

ſticorum argumenta Similia; Oratorum metaphoras, allegorias, apologos, μύθους, ænigmata, παροιμίας, aſſimilationes, exempla, imagines; Poëtarum eundem ornatum frequentiorem, atque ipſis propria Mythologica & Emblemata. Mirum, quàm in omni ſcientiâ reliquâ Græcis, præcipuè Pythagoricis & Platonicis, ferè perpetua fuerint ſymbolica dogmata. Ampliùs ſuſpicimus Ægyptiorum Vatum ἱερογλυφικά, ſcilicet σημεῖα, vel γράμματα, hoc eſt, *Sacra exſculpta ſigna, aut literas.* Erant namque ſculptæ notæ & figuræ, tum rerum artificialium, tum naturalium, nominatim animalium, volucrum, & ferarum, per quas, tanquam literas, animi conceptus res innuebant omnes, Phyſicas, Mathematicas, Ethicas, Theologicas. Ita Hierophantæ iſti notabant picturâ *leonis* virum generoſum ac fortem, *elephantis* magnum ac prudentem, *ovis* manſuetum, *crocodili* malum & rapacem, *accipitris* velocem, *anguillæ* invidum, *viperæ* parenti inſidias ſtruentem, *cervi* longævum. Deum quoque inter alia deſcribebant figurâ *circuli* propter ejus immenſitatem & æternitatem, (quomodo Philoſophus Mercurius, ob inſignem ſapientiam Triſmegiſtus dictus, eundem eſſe aſſerebat ſphæram, cujus centrum ſit ubique, περιφέρεια nuſquam) : vel *oculi* ſuperimpoſiti baculo ſeu ſceptro ere-
lib.9. con. Iul. cto, ad ſignificandam ipſius omniſcientiam, & providentiam gubernatricem de omnibus, teſte Cyrillo, etſi Macrobius hoc ad Oſirin ſive Solem refert.
lib. Saturn. cap. 21. Alia non adfero. Quemadmodum namque eum qui velit ſcire, quòd aqua marina ſit ſalſa, non oportet mare univerſum ebibere, ut alia in cauſſa Irenæus ait; ita, ut cognoſcamus, quàm veteres ſymbolis ſua involuerint, non
lib.2. cap. 34. eſt opus, ut omnia ipſorum myſteria perluſtremus, aut exhauriamus. Plura habent Athenæus, Plutarchus, Clemens & Cyrillus, uterque Alexandrinus, alii: & collegerunt ea Orus Apollo, ſive Horapollo Niliacus, Iohannes Pierius Valerianus, &c. Imò exinde non nulli volunt eſſe exorta ſtemmata & inſignia regionum & familiarum, ſingulis quaſi hieroglyphica.

Myſticam ejuſmodi Theologiam ipſemet Deus in ſacratiſſimis eloquiis & oraculis tradendis non ſemel quoque adhibuit: Quo certè *homo* ψυχικὸς, ſive *animalis*, terrenis & corporeis rebus magis addictus, *minùs capax eſt eorum, quæ*
1. Cor. 2. 14. *ſunt Spiritus Dei; ſunt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur:* eo ſimilitudinibus ejuſmodi magis afficitur, adeoq; per ἐπίγεια ad ἐπουράνια
Ioh.3.12. Dei virtute allicitur. Quemadmodum enim precioſior gemma annulo incluſa promtiùs tractatur, rectiùs geſtatur, lucidiùs emicat, magiſque afficit; ita doctrinæ & exhortationes majori ſeſe gratiâ nobis inſinuant, quum ſymbolis ejuſmodi, divinis maximè, commendantur. Non opus eſt, ut Sacramentorum teſtimonium advocem, quæ ordinaria & perpetua fue-
Rom. 4. 11. 1. Cor. 12. 13. runt à primis Eccleſiæ incunabulis ſacra ac viſibilia ſigna inviſibilis gratiæ, atque σφραγίδες ſive ſigilla juſtitiæ fidei, & membrorum Chriſtum profitentiũ communes teſſeræ. Neque vel tabernaculum Moſis, vel templum Salomonis ingredior, nec luſtrandã exhibeo utriuſque ſtructuram, vaſa & ſacrificiã, ritus

tus & ceremonias in V. T. *τύπον ὑπόδειγμα ϗ σκίαν τῶν ἐπουρανίων ϗ τῶν μελ-* Col. 2. 1
λόντων, hoc eſt, *typum, exemplar & umbram cœleſtium & futurorum.* Cui in divinis Heb. 8.
literis non omninò hoſpiti, ignotum eſſe poteſt, quàm inter alia hujuſmodi & 9. 1
etiam, quaſi hieroglyphicæ, tum loquendi formulæ, tum rerum ſummarum & 10.
deſcriptiones, in eis ſint haud infrequentes. Annon diviniſſimum illud *πρωτευ-*
αγγέλιον in Paradiſo ab ipſomet Deo mox à lapſu promulgatum iſtis accedit, Gen. 3
de Semine mulieris caput Serpentis contrituro? Huic reſpondet ab altera parte erectus 15.
ille æneus ſerpens in deſerto. Quis ignorat Deum, ac nominatim Chriſtum Num. 2
comparari jam cum Leone, vel Aquila, jam cum Agno, ut alia prætercam? Quid 8. Ioh.
aliud habuit illud ſomnium Pharaonis de ſeptem vaccis pulchris & pingui- 14. 15.
bus, paſcentibus in ulva, totidemquè deformibus, & priores illas devoranti-
bus? Adde ultimum teſtamentum Patriarchæ Iacobi, in quo Iuda vocatur ca- Gen. 4
tulus leonis & leæna; Iſaſchar aſinus valens oſſibus; Dan coluber in via; Naph- 2. &c.
thali cerva emiſſa; Benjamin lupus diſcerpens, manè comedens prædam, & ad Gen. 4
veſperam dividens ſpolium. Diſcrimen quoque illud inter animalia mun- 9. 10. 1
da & immunda, indequè eſſe licita vel illicita, in terreſtibus, aquatilibus, 17. 21
volatilibus, haud inane fuit. Inter alia fecit ad commendandam *εὐταξίαν*, 27.
& rectam diſpoſitionem non tantùm corporis, ſed etiam animæ, quam o-
mnium præceptorum Legis intentionem fuiſſe contendit Rabbi Moſes Bar
Maimon in *More Nevochim*, (hoc eſt Doctore Perplexorum); *docendo* ſci- Parte 3
licit *de rebus fidei, & præſcribendo ordines & vias ad gubernationem Reip. vel Oecono-* cap. 28.
miæ neceſſarias, idque in ablatione violentiæ, & formatione honeſtarum virtutum; ut
quis (quomodo idem ait) *perveniat in Mundum, qui totus bonus eſt & longus,* ibid. c. 27
quæ eſt ſubſiſtentia perpetua & æterna. Huc faciunt, quæ jucunda lectu habet Ba-
ſilius M. in Hexaem hom. 7. 8. 9. Miramur ſanè *Opus* מרכבה *Marcebhah*, hoc eſt,
quadrigæ, ſive *currus*, ſcilicet Dei, quo nomine Rabbini vocant initium Ezechie- Ezech. cap
lis; quod iidem unà cum Opere בראשית *Bereſchith*, hoc eſt, *Principii*, ſive *Cre-* 1.
ationis, non quibuſlibet explicandum volunt ex Traditione Thalmudis, & Thalm.
de quo tum idem Rambam tum alii, multi ſunt. Apparent videlicet qua- Chagiga
tuor animalia ignea & ſplendida in nube ipſis ſplendore ſimili, quibus ſingu- R. Dav.
lis quatuor ſunt facies (*hominis* ante, *leonis* ad dexteram, *bovis* ad ſini- præfat. i
ſtram, *aquilæ* à tergo); totidemque alæ (duæ expanſæ, duæ pendulæ ad Ezech M
tegendum corpus); ſui item pedes & manus; ſeſe moventia Spiritu inter- re Ne
no, antroſum ſingula, abſque ſui converſione, celeri curſu, quaſi fulgu- voch. par.
ris, ad quatuor mundi plagas. Subtus ea ſunt quatuor rotæ, quarum una- 3. capp.
quæque eſt gemina, alterâ alteri inſertâ per tranſcurſum ad angulos rectos; 1. 7.
ſeſe moventes ſimiliter, Spiritu intus agente, juxta animalia, eodem tem-
pore, ac modo, apſidibus factis ad terrorem altiſſimis, canthis plenis circum-
quaque oculis; unà cum ſono ingenti, quaſi aquarum multarum, & con-
flictus atque exercitus. Supra eadem revelatur expanſum lucidum quaſi
colore cryſtalli; & thronus ſimilis lapidi Sapphiri; inque eo ſimilitudo qua-
ſi ſpecies hominis, ſplendentis circumquaque, quaſi æris puriſſimi, ignis

& iridis. &c. Non eſt integrum hic inquirere, quàm ex Patribus aliqui-
poc. 4. bus hæc animalia (uti & ſimilia in Apocalypſi) vulgus affingat quatuor Evan-
geliſtis, peculiariter ſic dictis: neque etiam, quomodo ex Patribus alii o-
mnia Chriſto accommodent, qui naſcendo factus eſt *homo*; moriendo *vitulus*;
reſurgendo *leo*; aſcendendo *aquila*; multo minùs, quid Iudæi, vel alii ſtatuant.
zech. 1. Breviter; Ex ipſomet Propheta certum eſt, quòd fuerit *viſio ſimilitudinis glo-*
8. *riæ Iehovæ*; Immanuelis, inquam, Dei in carne jam manifeſtati, Domini & Iu-
dicis conſtituti in omnia. Miniſtra huic ſunt illa animalia, hoc eſt, Sancti
zech. 10. Angeli & Cherubini, (uti alibi explicatur, quorumque natura & miniſte-
1. 15. rium figuratur intelligentiâ *hominis*, robore *leonis*, obſequio indefeſſo *bovis*, agi-
9. litate *aquilæ*, munditia & efficacia *ignis*) abſque mora ad ipſius Spiritum recto
tramite inſervientes in omnibus orbis cardinibus. Et hæ res ſublunares,
ac nominatim humanæ in toto hoc inferiore Orbe rotæ iſtæ ſunt inſtabiles,
interſe implicatæ, quas tamen Dominus miniſterio uſus Angelorum, ſuoque
Spiritu præſentiſſimus, ubique providentia ſua rectiſſimè, potentiſſimè, & glo-
rioſiſſimè gubernat, ut judicia ſua in hoſtes exerceat, ſuos autem vindicet;
quem proinde debeant omnes venerari, impii vereri, pii verò in omni ca-
lamitate dubiiſquè rebus mundanis, in ipſo uno confidentes, profiteri. No-
an. cap. tæ ſunt Imagines Danielis hieroglyphicæ de quatuor Monarchiis, ſive ſum-
7. mis in Orbe terrarum inter homines Imperiis, Deo tamen & Chriſto ſub-
jectis; è quibus *Leo* alis aquilæ & corde humano preditus refert Imperium
Regum Babyloniæ; *Vrſus* tres in ore inter dentes coſtas habens Perſarum;
Pardus, quatuor alis in dorſo, totidemqúe capitibus conſtans, Alexandri
an. cap. M. ejuſquè Principum; *Beſtia diverſa* à prioribus & terribilis cum magnis
8. dentibus ferreis, & cornibus decem, vel Seleucidarum, vel Romanorum.
Similes ſunt aliæ ab eodem Propheta viſæ beſtiæ; videlicet *Aries*, cujus cor-
nua duo alta erant, petens Occidentem, Aquilonem, & Auſtrum; *Hircus*,
veniens ab occaſu, cui cornu conſpicuum inter oculos, quo Arietem pro-
ſtravit & conculcavit; donec & ipſo confracto ejus loco exurgerent qua-
tuor alia conſpicua, è quorum uno cornu prodiit perparvum excreſcens
excellenter verſus Meridiem & Occidentem & verſus Iudæam. Figurantur
per *Arietem* bicornem Reges Mediæ & Perſidis; per *Hircum* Regnum
Græcorum; per *cornu* ipſius magnum oculis ejus interjectum, primus in illo
Rex, Alexander Magnus; per *quatuor cornua* poſt illud magnum cornu ena-
ta, quatuor regna poſt Alexandri obitum exorta; per *cornu parvum* Antio-
chus Epiphanes, è regno Seleucidarum, gentis Iudaicæ perſecutor acerri-
Zach. cap. mus. Ex octo Zachariæ viſionibus prima exhibet virum inſidentem equo
1. rufo, & ſtantem inter myrtos, quæ erant in profundo; poſt illum equos ru-
fos, balios, & albos; qua ſignificatum fuit, Dominum Chaldæos inſtar ignis
conſumturum, Iudæos autem operâ S. Angelorum, ad interceſſionem Chri-
Zach. cap. ſti liberaturum. Secunda producit quatuor cornua & quatuor fabros; de-
2. clarans, vim Chaldæorum, qui Iudęos, quaſi cornibus, dejecerant, à Medis
Zach. cap. & Perſis, tanquam malleis, fore contundendam. In Vltima prodeunt quatuor
6. currus

currus è medio montium chalybeorum, ducti robuſtis equis, iiſquè, ordine ſuo, rufis, nigris, albis, variis, è quibus tres priores equorum ordines ibant in terram Aquilonarem, quartus verò in Auſtralem; ut confirmetur potentiſſima, imperveſtigabilis & perpetua Dei providentia, ac cura Iudæorum tum in Babylonia, in quam potior eorum pars erat abducta, tum in Iudæa, quoad ibi reſiduos, idque per miniſterium S. Angelorum, exercituum Dei, omni virtute inſtructorum. Quid autem eſt opus, ut pluribus è V. T. exemplis inſiſtam? Adeò certè ſymbolicum illud docendi genus in eo eſt frequens, ut Iulianus Apoſtata eo quoque nomine Moſen & Prophetas arroſerit; Cyrillus autem illud Sanctis rationibus factum defenderit, & os blaſphemum exemplis Paganis pluribus, minuſquè ſæpè probandis, obturarit. Neque verò illud in Novo Teſtamento omninò neglectū fuit. Quis ignorat jucundiſſimas ſimilitudines & parabolas ipſi Prophetæ Summo, Domino ac Servatori noſtro ſæpe fuiſſe perpetuas & familiariſſimas, ut abſque parabola nihil loqueretur populo. Nominatim quaſi Hieroglyphicum fuit, quando Ap. Petrus vas conſpexit, ut linteum magnum, quatuor extremis devinctum, & ad ſe è cælo demiſſum, in quo erant omnis generis quadrupedia terræ, & feræ, & reptilia, & volucria cæli, mandato addito, ut ſurgat, mactet, & edat, nec immunda dicat, quæ Deus mundavit; quo ipſo gentium ad Eccleſiam ſanctificata aſſociatio, adeoquè cum eis converſatio non detrectanda commendata fuit. Septem illæ viſiones Apocalypticæ huc produci poſſent, Iohanni Apoſtolo die Dominico oblatæ. In prima videt Dominum forma admirabili inter ſeptem candelabra aurea, manu tenentem ſeptem ſtellas; In ſecunda Agnum & librum, priùs clauſum poſt apertum, cum ſeptem ſigillis, unà cum quatuor animalibus (*leone, vitulo, homine, aquila*), & equis variis (*albo, rufo, nigro, pallido*). In tertia, ſeptem angelos, cum tubis, diverſiſque eventis. In tertia mulierem ſole amictam, pedibus lunam prementem, 12. ſtellis in capite coronatam, parturientem; nec non Draconem magnum; Beſtiam è mari aſcendentem, ſeptem habentem capita, decem cornua; aliamquè è terra aſcendentem, cui duo erant cornua; & quæ utrinque evenerunt. In quinta ſeptem Angelos cum ſuis phialis plagas infundentibus varias: in ſexta Meretricem magnam calice ſuo inebriantem incolas terræ; inſidentem beſtiæ coccinæ, cui ſeptem capita, & decem cornua; imperantem Babyloni; unà cum bello, & ruina: In ſeptima urbem cœleſtem, novamquè Hieruſalem, &c. Patefactus & figuratus ita fuit ſtatus partim Eccleſiarum in Aſia illius temporis, partim Eccleſiæ Catholicæ Orthodoxæ ab illo tempore in terris militantis uſque ad finem mundi, & in ſeculo futuro in cælis triumphantis, ut penitiùs in iſtæc arcana nunc non ingrediar. Res itaque luce meridiana eſt clarior, quàm iſtæc docendi ratio in Sacris quoque ſit jucunda, & probanda.

Apolog. contra J[ul.] lib. 9. — *Matt. [1]3. 34.* — *Act. [10.] v. 10 &c.* — *Apoc. 2. 3. ca[pp.]* — *capp. 4 6.* — *capp. 8 10.* — *capp. [12.] 13. 1[4.]* — *capp. [15.] 16.* — *capp. [17.] 18. [19.] 20.* — *capp. 2[1.] 4. 22.*

Interim dextrè tamen eam inſtituendam cenſemus. Neque enim omnibus modis ſymbola vel fingi vel explicari probamus; ſed certos eis, tum formandis, tum exponendis, limites ponimus. Hos tamen, ut nunc omnes

tradamus

4

tradamus non licet. Inprimis cavendum, ne quælibet ex quolibet effingantur; vel minùs Deo ac rebus divinis conveniant; vel nimiùm in hac Novi Teſtamenti luce ac libertate frequentia vel longiùs petita ſint, ut loco lucis fumú inferant. In iis ſimiliter, quæ S. literæ exhibent, ſolicitè ſtudendum, ut hiſtoriis & rebus ipſis ſua maneat illibata veritas, ne allegoriis enervetur; ut intra ſcopum & analogiam fidei θεοπρεπῶς ſubſiſtant; ut Theologia ſymbolica non cenſeatur argumentativa, niſi quatenus poſtulant ſeque explicant S. Literæ.
In Matth. cap. 13. Rectè etenim hactenus Hieronymus, *Pius quidem ſenſus*, inquit, *ſed nunquam parabola & dubia ænigmatum intelligentia poteſt ad authoritatem dogmatum proficere.* Adde inter ſymbola & res ſignificatas probè eſſe diſcernendum; in Sacramentalibus nominatim haud quicquam immutandum; extraordinariè ad tempus adhibita (uti ſunt Apparitiones Dei variæ) non eſſe repetenda, aut habenda ut ordinaria ac perpetua; verbis figurata & adumbrata non oportere imaginibus realibus exprimere & exhibere, nedum religioſè colere. Hiſce cautelis, & quæ ejuſcemodi ſunt aliæ, non obſervatis in eloquiis ac myſteriis divinis evolvendis Dionyſius, quem Areopagitam fingunt, Origenes, aliique ex Patribus allegoriis ſuis haud ſemel offenderunt. Theologi Scholaſtici & Monachi ipſos inſecuti pejus porrò impegerunt, ut vix quicquam ſani & ſolidi tradiderint, quod exemplis demonſtrari poſſit. Vtinam tum nauſea mannæ Evangelicæ, tum luxuries donorum in Eccleſiis noſtris, tam docentium, quàm auditorum, eundem abuſum ſymbolicæ inſtitutionis nuſquam revocaret vel repeteret! Ita ſcilicet omni tempore plures & linguis & auribus pruriunt, ut inſtar puerulorum crepitaculum præferant pſalterio, crepundia rebus vivis, ſpeculum eo præſentatis; adeoque fumum pluris vendant, emant, quàm veritatem ipſam; floſculos, quàm fructus; luſum, quàm uſum. Ex iſtoc fonte omnis ferè profluxit ἐθελοθρησκεία, quæ cum aliàs, tum ſub Papatu Eccleſiam inundavit, nomine ſymbolici cultus ritibus ac ceremoniis revocatis, ampliuſque introductis, quàm vel Paganiſmus vel Iudaiſmus ſimul obtinuit. Inprimis exinde derivatus eſt idolatricus imaginum cultus, incrementumque ſaltem & prætextum ſumſit. Arbitrati ſcilicet ſunt idolorum cultores, licitum eſſe, ut Deum quoque ipſum ſimulacris & imaginibus iiſdem referrent & colerent, quarum aliquando ſpecie ad ſui præſentiam, judiciaque aut beneficia manifeſtanda &
Rom. 1. 22. 23. comprobanda apparuit, vel verbis deſcripſit ac adumbravit. Atque ita, Indice Apoſtolo, *cùm ſe dictitent Sapientes, ſtulti facti ſunt. Mutarunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum & reptilium.* Paralogiſmo etenim falſi ſunt & fallunt manife-
Exod. 20. 4. 5. Deut. 4. 12. 15. 16. &c. ſto; errore planè à ſcopo ſymbolicæ vel temporariæ & extraordinariæ apparitionis, vel verbalis inſtitutionis, alieno, indecoro, noxio, adeoque expreſſâ cautelâ prohibito. Pluribus hoc deducit Euſeb. de Præp. Evang. eo ipſo ſimul convincens Gentilium Theologiam non tantùm hiſtoricam & civilem ſed & Myſticam impiam eſſe. Et hæc ſimul cauſſa fuiſſe creditur, cur Moſes, etſi in omni ſapientia Ægyptiorum eruditus fuit, (teſte Protomartyre

martyre Stephano), adeoquè etiam (juxta Philonem Iudæum) non
ignarus traditæ ab ipſis *Philoſophiæ occultæ, deſcriptæ literis, ut vocant, hieroglyphicis,* Act.7.22.
hoc eſt, notis & figuris animalium; Imò ceremonias ſymbolicas fortè ſimiles (ut lib. I. de
volunt Cyrill. & Clemens Alexandrini) adhibuit: attamen omnem ſimu- vita Moſ.
lachrorum & imaginum ſculpturam, ac cultum religioſum tam ſeriò ubi- Cyrill. A-
que improbavit & damnavit; vehementiſſimè quoque, utut aliàs mitiſſi- pol. lib. 9.
mus, indignatus, tum in fratrem Aaronem, tum in Iſraelitas reliquos ob vi- Clem. St-
tulum aureum, ad ſimilitudinem, ut putatur â nonnullis, Apis Ægyptio- rom. lib. 5.
rum effictum. Atque eo faciunt illa Iuſtini Martyris. *In precio erant*, inquit, Exod. 32.
tunc apud eos (Ægyptios) *diſciplnæ, quæ Hieroglyphicæ vocantur, quæ quidem in* Reſp. ad
adytis, non quibuſlibet, ſed eximiis tradebantur, quorum vates (Moſes) *etiamſi ſcientiam* quæſt. 25.
habebat, at uſum non item, utpote contrarium divino Hebræorum regimini, propter quod ad Orthod.
ille contemtâ etiam regali in Ægypto potentiâ maluit cum populo Dei adverſa pati.

Sed juſto jam diutiùs in his videbor immoratus, ut ſatis omninò conſtet (quod aliorum potiùs cauſſa præfari placuit) eſſe iſtud docendi genus & frequentiſſimum ab omni ævo, tum aliàs, tum in ipſis quoque Sacris ſtudiis, & ſimul jucundiſſimum atque utiliſſimum, ſi modò dextrè adhibeatur & applicetur. Sicut namque radius ſolaris plus habet caloris, ſpeculo aut ænea pelvi exceptus; ita vehementiùs accendit animos ipſa quoque doctrina ſacra, quæ hiſce ſacris radiis reſplendet. Simile ferè & quaſi hieroglyphicum fuiſſe videtur, quòd Spiritus S. ſpecie columbæ viſus fuit è cælis deſcendere, venire & manere ſupra Chriſtum. Secundum ſcilicet iſtud fuit portentum actus diviniſſimi ad panegyrin illam auguſtiſſimâ, in ſolenniſſima ejus inauguratione ad Propheticum & Redemtorium officium mox à Baptiſmo publicè adeundum. Præterea namque ſupra eundem cæli viſi fuerunt aperti, & vox exinde audita, *Hic eſt filius ille meus, ille dilectus, in quo acquieſco.* Magis magnificam mundus non vidit Inaugurationem, nec videbit unquam. Non eſt ei æquiparanda ulla cujuſcunque Magiſtri ſive Do-
ctoris; aut Sacerdotis; aut Magnatis, Principis ac Regis. Non Eliſæi; Eſa. 61.
nec Aaronis; neque Mordocaji, Ioſephi vel Salomonis. Ipſe ſuos induit Io. (al.
veſtibus ſalutis, pallio juſtitiæ, & virtute ex alto, baptizans Spiritu S. & 62. 1.)
igne: Sacerdos eſt ille in ęternum, ſecundum ordinem Melchiſedechi; Act. 1. 5.
Vir, cujus honore delectatur Deus; שר שלום, *Sar Schalom, ſive Princeps pacis*; צפנת 8. Matt.
פענח, *Zaphnath Paanéach*, hoc eſt, *κρυπτῶν ἐυρετὴς, ſive occultorum revelator ac* 3. 11.
interpres, de quo Præcones ſacri veriùs ad unumquemque proclamant אברך, Heb. 7. 6.
Abrech, id eſt, *Flecte genua* ante eum. Minimè ergo videbitur alienum, quòd Eſth. 6. 9.
de ea inauguratione Domini ego, licet minimus, Servus Domini, & Novi Eſa. 9. 5.
Teſtamenti de Chriſto exhibito Profeſſor, partim Oratione Inaugurali dixi, Gen. 41.
partim poſtea in lectionum auſpiciis docui. In iſta tantùm de illa Spiritus 45. 43.
Sancti manifeſtatione, ſpecie columbæ, agere licuit. Multa, quæ curioſiùs quæruntur, atque ocioſiùs diſputantur, ſtudio vel prætериimus vel verbo tantùm perſtrinximus. Præcipua contraximus, quæ aliàs fuſiùs, & quidem meritò, deduci potuiſſent, idque ſtilo potiùs columbino, hoc eſt, Theologico.

(*⁎) Scopum

Scopum & analogiam fidei nos obſervaſſe non dubitamus: iſtâ ſcilicet ſpecie columbæ hujuſquè proprietatibus ſignificatum fuiſſe Spiritum Sanctum, ejuſquè dona; & demonſtratum Ieſum illum verè eſſe Meſſiam à Deo Patre ordinatum & Spiritu Sancto abundantiſſimè unctum in Redemtorem, à quo tanquam capite Eccleſia quoque, columba ipſi unica, & in ea fideles omnes ac ſinguli, pro ordine & menſura ſua, eodem Spiritu unguntur & imbuuntur. Doctrinas orthodoxas, heterodoxa contraria, unà cum praxi reliqua ſolùm digito indicare licuit. Quod generis eſt, pro ratione loci & temporis ſpecialiùs porrò applicare viſum fuit Perſonis *Docentium, Diſcentium, & hos utroſque Curantium*, ut Dei gratia, Chriſti merito, S. Spiritus operatione, ſanctè ego voverem, quod mei eſſe agnoſco officii, & viciſſim mihi pollicerer, quæ à ſingulis hactenus experior, perpetuò expecto.

Et hanc ſaltem diſſertatiunculam (diatribis aliis de actu reliquo in aliam occaſionem ſervatis) ut non tantùm iis, qui honorificâ ſuâ præſentiâ & attentione eam benevolè cohoneſtare ſunt dignati, recognoſcendam; ſed aliis quoque videndam vel cognoſcendam publico cedam, plures urgere non deſiſtunt, quibus amicum obſequium debeo. Vobis autem Nobiliſſimi Mæcenates, & Domini Honoratiſſimi, eam ipſam inſcribere & volui & debui, eoquè veſtram profiteri, quò veſtro patrocinio & gratior & tutior prodeat; ego vero Illuſtr. & Præpot. Ordinum ac Procerum hujus Provinciæ, Groningæ & Omlandiæ, ut & veſtram, tum in Academiam & in ea S. Theologiam, tum erga me ſummè benevolum affectum animo & grato & gratulabundo aliquatenus conteſter.

Indignum ſcilicet nunquam fuit habitum ipſis etiam Monarchis, Regibus, Nobilibus, Magnatibus, Patribus familiâs ſua in aulis, arcibus, prædiis, domiciliis, habere columbaria; columbas amare & fovere, ſiquidem ſuam illis & gratiam & utilitatem adeſſe ſemper agnoverunt. Narrant Reges Aſſyriæ & Babyloniæ columbis ſuas extruxiſſe turres magnificas; imò eas unà cum Syris coluiſſe, à quo tempore Semiramis recens nata & expoſita ab iis ſit enutrita, quæ inde quoque, teſte Diodoro Siculo, nomen illud obtinuerit, Syriacè columbam ſignificans, quod Cl. Voſſius, antiquitatum peritiſſimus ex Chaldæo, זמיר, *Samir*, deducit, quo avium illud *μινύρισμα*, ſive exilis & querulus cantus, appellatur. Ipſam quoque formâ columbæ cultam, atque inde ſymbolum & ſignum columbæ in militaribus vexillis Reges Babyloniæ geſſiſſe nonnulli volunt; imò Nabuchodonoſorem juxta Vulgatum Latinum Interpretem Ierem. 25. 38. & 46. 16. & 50. 16. & Zephan. 3. 1. Columbæ nomine notatum fuiſſe. Rabbini dictant Herodem columbas è deſerto adduxiſſe, à ſuo nomine pòſt *Herodianas* dictas, eaſquè tam habuiſſe familiares, ut edoctę acclamarent ipſi *κύριε, κύριε, Domine, Domine*, quod quàm ſit Rabbinicum prætereo. Quanta verò columbarum & publicè & privatim ſit utilitas ad animi oblectationem, corporis alimoniam, morborum curam, huc conferre non eſt noſtrum. Quam etiam frequentia & varia ab iiſdem omnis ætas mutuata ſit hieroglyphica documenta, adagia-

Bibl. Hiſt. lib. 2. Voſſ Theol. Gent. lib. 1. c. 23.

Baal. Aruch. & Buxt Lex. Rab.

adagia, encomia, omina, repetere non licet. Vſus certè is eſt inſignis, quo
munus ſæpe ſupplent, quod internuncius aut tabellarius alius præſtare nec
velit nec poſſit. Noachus hoc primus docuiſſe videtur, qui, corvo emiſſo Gen.8.
minùs fido, deinde columbâ tribus vicibus emiſſâ, eâque fidâ & amicâ, ma- 8. &c
gis magiſque deprehendit aquarum diluvii defectum; primò nempe nec-
dum eouſque deſediſſe, ut pedem in terra tutò figere liceret; ſecundò mon-
tes quidem & arbores cepiſſe eminere & frondere, teſte adducto ramo oli-
væ; tertiò terram omninò exiccatam eſſe, quaſi tutò ex arcâ egredi lice-
ret. Et hinc fortè fabulæ nata eſt occaſio de aureo ramo à geminis colum- Æn.lib.
bis Æneæ monſtrato. Plinio referente, cùm Decius Brutus à M. Antonio v. 19
Mutinæ obſideretur, Hircius verò Panſa cum exercitu ei ſubſidio adveniſſet, lib. 10.
columba mutuum nuncium tulit. Tauroſthenes, teſte Æliano, Patrem 37. Va
commorantem Æginæ per columbam, quam ſecum à pullis avexerat, pur- hiſt.lib.
pureo annexo ſigno remiſſam, de victoria in Olympicis ludis fecit certio- c. 11.
rem. Et memorabile eſt, quod fertur Chriſtianis in bello illo, ſacro di- Sabell.
cto, anno Chriſti 1124, Tyrios obſidentibus: Barbari cùm columbæ mini- Enn.
ſterio literas mittere conarentur, quibus de ſuppetiis animarentur, Chri- lib. 4.
ſtiani in caſtris alite conſpectâ tantum excitant clamorem, ut ea concideret;
literaſque eidem alligant argumenti contrarii, & obſeſſos illuſos ad deditio-
nem pertrahunt. Simile omninò ſuppeditat hiſtoria Belgica ſuperioris tempo-
rum, quando Lugdunum Batavorum (ſimile antea Harlemi tentatum) in gra-
viſſima obſidione per columbam literis allatis præſenti eſſe animo & ſubſi- Em.Me
dium expectare jubebatur. Idem hic liceat dicere, quod Plinius de Mutinen- lib.5.A
ſi obſidione; *Quid vallum & vigil obſidio, atque etiam retia amne prætenta profuere* (ut 1574.
Antonio, ita Hiſpano Frederico Albano) *per cælum eunte nuncio?* Elegans de P. Bor
his columbis, quibus Nobil. & Literatiſſimus Ianus Douſa in iſta Lugduni lib. 6.
obſidione Vrbis Gubernator uſus eſt, Magni ibidem Danielis Heinſii carmen lib. 10.
& Græcum & Latinum ad eundem extat, cujus verſus ultimus ſummam 37.
continet;

Quid Patriæ non præſtat amor? qui, falleret hoſtem,
Douſa virum nequiit mittere, miſit avem.

Ad rei gratam memoriam eundem ſummum virum neque columbas co- Saturn
mediſſe Lipſius prodit. Serm.

Longè autem majori laude dignum totus judicat Chriſtianus Orbis, quòd cap. 6.
Illuſt. & Præpotentes hujus Provinciæ DD. Ordines ac Proceres hanc Aca-
demiam, ceu ſacrum & divinum περιστερεῶνα, ſive columbarium, tanta
gratia, favore ac munificentia erigere, conſervare & fovere; Nobiliſſimi
quoque & Ampliſſimi DD. Curatores, ſemper eâdem virtute ſubſecuti, ab
omnibus primæ fundationis annis, tantâ prudentiâ & fide amplecti, curare
& promovere, non ſunt gravati. Verè Patriç Patres ſuæ ſic Provinciæ im-
mortale decus contulerunt; cumque una atque altera ex Confœderatis Bel-
gii Provinciis iſtud præſtitiſſet, hęc nullatenus fuit poſtrema, ſed plures alias

 antever-

anteverrit.Quàm celebres in omni Facultate &Diſciplina viros,Studioſos ex
omni Europæ angulo frequentes,ſemper humaniſſimè evocarunt,invitarunt,
& liberaliſſimè habuerunt.Ipſimet ſcilicet maximam partem à Sancta illa cæ-
leſti Columba in omnis generis Doctrina & eruditione egregiè enutriti &
inſigniter exculti non poſſunt non eidem ceu Matri hanc columnam & tro-
phæum grati erigere, eiquè hoſpitium & loculamentum in amoris teſtimo-
nium concedere ſanctèque ſervare. Et Deo Opt. Max. quà ſunt pietate,
Ieſ. 49. hoc ſe debere ultrò agnoſcunt, ut hac quoque parte ſeſe Nutricios Eccleſiæ
23. comprobent. Gratiſſimum porrò vexillum eo auguſtiùs extollunt Victoriæ
& Pacis adverſus Papalem & Caſtilianam tyrannidem divinitùs impetratæ,
& tot jam annis poſſeſſæ. Summè ſimul hoc Athenæum ſibi & ſuis cumpri-
mis neceſſarium ac ſalutare eſſe experiuntur. Columbas etenim exinde
educant ſacras, quæ huc illuc emiſſæ folium olivæ, hoc eſt, Pacis Evan-
gelium ore annunciando deferunt, de ſedatis & hactenus exiccatis aquis
diluvii iræ divinæ, ac beato tandem exitu ad Dei mandatum expectando.
Et hæ ipſæ virtute illius cœleſtis columbæ alliciunt & ſecum adducunt alias
Matt. 7. ad περιςερῶνα Eccleſiæ, & verbo & opere eis pereuntes, ut Dominum
21. ſanctiùs invocent, non tantùm ore inclamando κύριε, κύριε, *Domine, Domine*;
Ioh. 16. ſed etiam faciendo voluntatem Patris, qui eſt in cælis. Eædem à Spiritu
13. Tit. veritatis edoctæ, ceu internunciæ, Epiſtolam deferunt Creatoris ad Crea-
2. 14. 1. turam, Redemtoris ad populum ſibi peculiarem, Civitatem Dei vivi, paſ-
Tim. 3. ſim in terris obſeſſam & oppugnatam à Satana & huic merentibus Pſeudo-
15. prophetis, peccato carnis reliquo, & mundo immundo: contrà de Dei
Matt.28 Patris certiſſima gratia; de Chriſti Ducis ac Servatoris hactenus parta ſa-
20. lutis victoria & præſentia perpetua, opem tempeſtivè latura; nec non de
Eph.6.14 parata armatura ex armamentario Spiritus; denique de appropinquante
Luc. 21. omnimoda ſubactione hoſtium, ſuorum autem pleniſſima redemtione in bea-
28. tiſſimam libertatem, & gloriæ filiorum Dei adoptione ac vindicatione:
Rom. 8. ne videlicet hi concives ſanctorum unquam animum deſpondeant, aut in
21. 23. caſtra hoſtium cedant, ſed alacriter ac fortiter certamen præclarum
Eph. 2. decertent, fidem ſervent, Dominum expectent, amarantinam illam
19. coronam juſtitiæ, vitæ, ac gloriæ ab ipſo, Iuſto Iudice, certo cer-
Eph. 6. tiùs impetraturi. Vt gratias proinde (quod non poſſum non hîc repe-
10. tere) omnes ſubditi & boni debent ſecundum Deum Illuſt. & Præp.
2.Tim.4. DD. Ordinibus, nec non Nob. & Ampl. DD. Curatoribus, de Acade-
7. 8. mia ſemper & quaſi certatim benè meritis; ita pro cujuſque proſperi-
1.Pet. 5. tate Deum quoque omnes precabuntur, quomodo Iudæorum Seniores
4. pro Centurione intercedentes, dicendo, *Domine, certè dignus eſt,*
Apoc. 2. *cui hoc præſtes, Diligit enim populum noſtrum, & ſynagogam ædificavit no-*
10. *bis!* O miſeram & deplorandam tot Imperiorum, Regnorum, Prin-
Luc. 7.4. cipatuum, Provinciarum, Regionum, Civitatum faciem ac devaſta-
5. tionem,

animam, qua vita turturis ac columbæ [illegible] quam ſibi Dominus in volatilibus unam elegit (quomodo hactenus cum Canonicis Apocryphus Eſdras non malè) nunc tradita videtur catervæ impiorum rapaci ! Quâm diu multorum jam animus ſuſpirat dicens, O *ſi quis daret mihi alam, velut columba : evolarem, ut habitare poſſem : Ecce, quàm longiſſimè evagarer, commoraturus in deſerto, vehementiſſimè : maturarem effugium mihi, à vento rapido & turbine.* Quàm contrà Confœderatum Belgium felix, & in eo hæc cumprimis Provinc[illegible]eata ! Narrat Suetonius caſtris à Iulio Cæſare apud Mundam poſitis ex cæſa ſylva palmæ arborem ſervatam in omen victoriæ, atque ex ea continuò enatam ſobolem, eamquè in paucis diebus adeò adoleviſſe, ut non æquipararet modò matricem, verùm etiam obtegeret, frequentareturquè columbarum nidis ; quamvis id avium genus duram & aſperam frondem maximè vitet. Ad ampliſſimum Octavii imperium, victorioſum & pacificum, illud omen refertur. Belgium verò noſtrum ſimiliter divina manus inter tot arbores inſtar palmæ victorioſum extulit, conſervavit : atque exinde ſobolem produxit ampliſſimam, in qua columbarum nidi, Eccleſiæ ac Scholæ, ſunt frequentes, etſi ab armis aliàs Muſæ videntur alieniores. Imò inſtar arboris eſt Nebucadnezaris patulæ, roboratæ, altitudine ad cælum, amplitudine ad finem totius terræ pertingentis, ſub qua umbram capiunt beſtiæ agri, in cujus ramis habitant aves cæli, & à qua cibum capit omnis caro. Nominatim in omnibus ejus Provinciis hæc Groningæ & Omlandię Provincia ad ſupremum verticem eminet, viget, floret ; plurium exulum pium aſylum ac receptaculum ; Eccleſiæ & Academiæ liberale hoſpitium ; omnis generis abundans promtuarium. Vtinam ſua bona, & quæ porrò ad pacem ſuam pertinent, omnes norint !

Pſalm. 74. 19.
4. Eſd. 5. 29.
Pſal. 55. 7. 8. 9.
In Octav. Aug.
Dan. c. 4.

Neque verò hanc ſuam pietatem emori patiuntur vel iidem Illuſt. & Præpotentes Ordines ac Proceres, vel Nobiliſſ. & Ampliſſ. DD. Curatores, Zelo domus Dei ferventes omnes. Dolent quidem viros inſignes, quos unà cum ipſis immortales eſſe, ſi liceret, optandum foret, ex hac Academiæ ſuæ ſtatione ſubinde avelli ; non tamen deſiſtunt, quin alios quamprimum ſummâ rurſus benevolentiâ ſurrogent. Non factum illud ſolùm antehàc aliquoties, ſed nuper quoque cum ampliore ſimul ad Theologicam Facultatem acceſſione. Poſtquam etenim Celeberrimus DD. Altingius eheu ! & nobis & bonis omnibus ereptus fuit, non tantùm me in tanti olim Præceptoris, deinde Fautoris & Amici conſtantiſſimi, locum humaniſſimè evocarunt, adeoquè Celeberrimo item DD. Mareſio collegam eſſe voluerunt ; ſed etiam brevi pòſt Clariſſ. DD. Paſorem, mihi jam multis ab annis Heidelbergæ in ſacris ſtudiis commilitonem familiariſſimum

(quum eum Nob. & Ampliſſ. DD. Curatores Illuſtris Gymnaſii Geldro-Velavici Hardervici mihi ſucceſſorem peterent) à Philoſophica Profeſſione tranſlatum, nobis in Theologica Facultate Collegam adjunxerunt. Auctior hinc, ſingulari in Sacra ſtudia fervore & munificentiâ Illuſt. ac Præpot. DD. Ordinum, & Nobiliſſ. ac Ampliſſ. DD. Curatorum, S. S. Theologiæ Profeſſio fæcundiorem, Deo cœlitùs porrò benedicente, ſacrarum columbarum propagationem & educationem ad Dei gloriam, Eccleſiæ incrementum, Provinciæ honorem [illegible] magis magiſquè pollicetur; quomodo ſanè Deo uni de auſpiciis hactenùs non poſſumus non infinitas agere gratias, eundemquè de ſucceſſu continuo venerari.

In me autem nominatim tum Illuſtr. ac Præpotentum DD. Procerum, Patrum Patriæ, tum veſtrum, Nobiliſſimi & Ampliſſimi viri, & Excuratores (ut ſic loqui liceat) & Curatores, inſignem planè favorem & benevolentiam tacere malim, quàm vel minùs dignè prædicare, vel auribus verba dare, mihi verò quicquam ampliùs tribuere. Inferiorem etenim me profiteor, ut in tanti Theologi locum ſuccederem, tantum mei obtinendi cauſſa laboraretur, tam honorificè exciperer, haberer. Et hanc inter alias cauſſam publicè confeſſus fui,atque etiamnum teſtor, quæ me hinc facilè avertiſſet, niſi præter Dei providentiam & debitum Orthodoxiæ & Eccleſiæ prò viribus conſervandæ & propagandæ officium, ea ipſa benevolentia tum veſtra,tum aliorum Mæcenatum,Collegarum,Fratrum,& Amicorum perſuaſiſſet.Teſtificatę eā ſatis fuerunt literæ illę vocatorię, quibus vos,Nobiliſs. & Ampliſs. viri, Curatelam Academiæ tunc ſuſtinentes,ex voluntate & conſenſu Illuſt. & Præpot. DD. Ordinum, me tam honorificè invitaſtis, vocaſtis, ut obtineretis urſiſtis. Admodùm Reverendus & Celeberrimus DD. Mareſius, Collega mihi plurimùm honorandus, Rector & ipſe Magnificus, literis humaniſſimis aliquoties repetitis eandem omnibus modis omnium nomine quaſi ſpondere veritus non fuit. Nec minùs idem præſtitit, tum per literas, tum coram, Reverendus & Clariſſimus D. Profeſſor M. Iacobus *Altingius*, V V. N N. A A. Legatus acceptiſſimus, à Patre b. m. amicus mihi hæreditarius, qui ſingulari quoque agendi prudentia, & ſtudio indefeſſo, tum apud me, tum apud Nobiliſſ. & Ampl. DD. Curatores Gymnaſii Geldro-Velavici; nec non apud Ampliſſimum Magiſtratum, atque Venerandum Preſbyterium Hardervicenum; ut & apud Illuſtr. DD. Ordines Tetrarchiæ Geldro-Velavicæ, non tantùm Hardervici, ſed etiam Hagæ-Comitis & Arnhemiæ inſtitit, donec omnes expugnaret, me veſtrum & huic Provinciali Academiæ obtineret. Effari ſatis nequeo, quanta humanitate, quam primùm acceſſi, & privatim & publicè, ſum exceptus, habitus, omnibus omnem benevolentiam & beneficentiam erga me & meos addicentibus, confirmantibus. De vobis item, Nobiliſſimi & Ampliſſimi DD. Curatores, adeò ſum perſauſus, ut plurimùm & Academiæ & mihi gratuler, vobis Curam eandem incumbere, quæ non poteſt non ejuſdem ſimul eſſe animi, quomodo is ipſe jam dudum quoque re ipſa luculentiſſimè eſt ſpectatus ac probatus.

Iure

Iure igitur, inquam, & merito hæc ipſa qualiſcunque Inauguralis Oratio, de Columba cæleſti in auguſtiſſima Domini & Servatoris noſtri Inauguratione, diviniſſimo oſtento, ſpectata, ad vos revolvitur, Nobiliſſimi & Ampliſſimi viri, Domini & Mæcenates Spectatiſſimi, qui Curatelam Academiæ Illuſt. & Præpot. DD. Ordinum nomine & ſuſtinuiſtis & ſuſtinetis, in levidenſe ſaltem animi ſummè & grati & gratulabundi indicium, nec non in refugium ſub VV. NN. & AA. tutiſſimum patrocinium. Atque ita, ut hæc quoque veſtra authoritate, in veſtra Provincia & Academia, dicta, vobiſquè, ut veſtra, dicata, ab eo, qui to[illegible] eſt veſter, benevolè excipere, eumquè favore veſtro, etiam porrò complecti ne dedignemini, etiam atque etiam rogo.

Deus Opt. Max. tum in omnibus Confœderati Belgii Provinciis, tum in hac veſtra, Groningæ & Omlandiæ, clementer halcyonia præſtet ac contineat! Spiritum ſuum, ceu Columbam in omnia Chriſti membra ab ipſo Capite cælitùs demittat! Academiam magis magiſque ampliſſimam efficiat officinam, cum literarum, diſciplinarum, & Facultatum omnium, tum S. S. Theologiæ, in ſalutarem Cognitionem ipſius ſolius veri Dei & Ieſu Chriſti, quem miſit, & in quo uno acquieſcit! Eccleſias & Scholas alibi collapſas reſtituat! Magiſtratus omnes, inquè iis nominatim Celſiſſimum utrumque Principem Auriacum, Illuſtres ac Præpotentes Ordines hujus Provinciæ, ut & vos Academiæ Mæcenates, omnes ac ſingulos, omni gratia atque proſperitate fortunet, beet!

Dab. Groningæ XXVI. Februar. Anno Chriſti CIↃ.DC.XLVI.

VV. NN. AA.

obſervantiſſimus

ABDIAS WIDMARIUS.

LOCA

LOCA S. SCRIPTURÆ NOVI TEſtamenti Parallela de Inauguratione Chriſti, mox ab ejus Baptiſmo, atque in ea de manifeſtatione Spiritus Sancti, ſpecie Columbæ.

Matth. Cap. III. v. 16. 17.

ET baptizatus Ieſus aſcendit ſtatim ex aqua: & ecce, aperti ſunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem, quaſi columbam, & venientem ſuper Ieſum. Et ecce, vox adfuit è cælis, dicens, Hic eſt filius ille meus, dilectus ille, in quo acquieſco.

Marc. Cap. I. v. 10. 11.

Et (*Ieſus*) ſtatim aſcendens ex aqua vidit findi cælos, & Spiritum quaſi columbam deſcendere ſuper eum, Et vox exſtitit è cælis, Tu es filius ille meus, ille dilectus, in quo acquieſco.

Luc. Cap. III. v. 21. 22.

Factum eſt autem, quum baptizaretur omnis populus, & Ieſus baptizatus eſſet, & oraret, ut aperiretur cælum: Et deſcenderet Spiritus Sanctus corporea ſpecie, tanquam columba, ſupra eum: & vox de cælo exiſteret, dicens, Tu es filius ille meus, dilectus ille, in te acquieſco.

Ioh. Cap. I. v. 32. 33. 34.

Tum teſtatus eſt Iohannes, dicens, Conſpexi Spiritum deſcendentem, quaſi columbam è cælo, (*qui*) etiam manſit ſuper eum. Et ego non noveram eum, ſed qui miſit me, ut baptizarem aqua, ille mihi dixerat, Super quem videris Spiritum deſcendentem, ac manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat Spiritu Sancto. Ego igitur vidi, & teſtor hunc eſſe Filium illum Dei.

COLUMBA
HIEROGLYPHICUM
SPIRITUS SANCTI,

hoc eſt,

ORATIO INAUGURALIS,
de manifeſtatione Spiritus Sancti, ſpecie Columbæ. &c.

Adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram!

Magnifice Domine Rector;
Nobiliſſimi & Ampliſſimi D D. Curatores & Proceres; *Patriæ Patres*;
Excellentiſſimi & Prudentiſſimi D D. Coronæ Suecicæ Legati & Conſiliarij;
Conſultiſſimi & Clariſſimi D D. Profeſſores;
Venerandi & Vigilantiſſimi DD. Paſtores;
Spectatiſſimi, Doctiſſimi, & Humaniſſimi Hoſpites;
Suo ordine & honore mihi colendi omnes;
Tuque Nobiliſſimorum & Ornatiſſimorum Studioſorum præclara corona;

IGnoſcite, quæſo, ſi videbor eos imitari, qui olim ad exequias albati, ad nuptias pullati procedebant. Non poſſum non vulneri manum admovere, adeoquè ex corde dicere. Ingreſſus in hanc Provinciam, Urbem, Acade-

Academiam; in hanc cathedram, ad hunc actum, ad hanc Profeſſionem, non poteſt non triſtiſſimam animo meo refricare memoriam. Ereptum recordor Orbi, Europæ, Germaniæ; Ereptum huic Belgio, Provinciæ, Reipub; Ereptum Reformatis Eccleſiis, Academijs, Studijs Sacris; Ereptum Palatinis, Amicis, Liberis; atque ereptum eheu! mihi nominatim, quem Dominum ac Præceptorem, Patrem & Fautorem, à tot annis ad finem uſque vitæ, ſum expertus ampliùs, quàm præter liberos vix quisquam alius, ſummè, inquam, intimum, ſingularem, conſtantem. Maximè ego ſaucius animo vobiſcum exclamem, *Pater mi, Pater mi, Currus Iſraelis & equites ejus!* Haud profectò cum Eliſa rogandus eſſem, ſed primus obnixè rogarem, ut non tam quinquaginta ſtrenuos viros mitterent, quàm quotquot Prophetarum ſunt filij, & damno afficiuntur Joſephi, ipſi diſquirerent; imò, quacunque membrorum ſum debilitate, quoſvis ego antevertere conarer; An fortè Magnum noſtrum Doctorem Henricum Altingium, *Alti ingenij* igneum Theologum reduci liceret. Major ipſe fuit, quàm ut verbis à me dici ſatis, majorque & inde jactura, quàm animo concipi, lachrymis deplorari poſſit. Sed plura de ipſo antehac jam dicta ſunt & audita, quàm vel ego diſſerere valeam, vel nunc repetere expediat Atque hæc, Auditores, inter alias mihi cauſſas facilè fuit prima, quòd hanc vocationem admittere fui gravatus, perpetuum veritus luctum & dolorem, quomodo eundem nunc ſentio vehementiſſimum; ut indignari poſſe videar in omnes, qui me huc impulerunt, niſi certus eſſem, & hos mihi verè amicos eſſe, & ipſius fuiſſe.

Acceſſit, quòd Hardervici, in illuſtri Gymnaſio Geldro-Velavico, & in Eccleſiæ ſimul ibidem Miniſterio, benedictione laborum à Deo ſpectata, altiſſima pace, & favore omnium jucundiſſimo, frui mihi datum fuit; unde nihil non iſtic moverunt & obtulerunt Nobil: & Ampliſſ. D. D. Curatores & Conſules, nec non Illuſtres D. D. Ordines Deputati Tetrarchiæ Geldro-Velavicæ

vicæ, & reliqui omnes, ut animum hinc averterent, ſecum detinerent; quam erga me benevolentiam, ingratus ſim, nî prædicem.

Nominatim tenuitas me mea plurimùm abſterruit, cujus probè conſcius novi, quàm ſit mihi ad ampliſſimam hanc ſtationem curta ſupellex, ut optarim mecum ſæpius, ſi Deo ſic viſum eſſet, eas objici cauſſas & remoras, quibus Nobiliſſimi & Ampliſſimi hujus Academiæ D. D. Curatores permoti tenerentur á me deſiſtere, atque onus hoc in quemvis alium devolvere.

Verum enimverò cauſſis & ipſis ſimul graviſſimis me nihilominus huc tandem pertractum, ut agnoſcatis, velim.

Unam maximè attendi divinam voluntatem & providentiam, cui ultrà non obnitendũ, ſed obediendum eſſe ſum convictus. Nec loci, nec temporis, nec mei ratio fert, ut recenſeam, quàm me divina paternàque Dei manus ſibi conſecratum à teneris exercuerit, & hucuſque duxerit. Me verò exinde totum in ſervitium Domini, magis magiſque promovendæ ipſius gloriæ, orthodoxæ veritati, Eccleſiæ, & multorum ſaluti, pro virili debeo. Exhorrui profectò ſæpius, quotieſcunque pacis & quietis amantiſſimus graviores functiones defugi, in inferioribus autem latere, & mihi vivere
malui, ad Paulinum illud *Væ; ſi euangelizem, non eſt, quod glo-* 1 Cor: 9.
rier: neceſſitas enim mihi incumbit; Væ autem mihi, niſi euangeli- 16.
zem! atque adeò ad ſententiam Domini in ſervum illum malum, Mat: 25.
nimis timidum & ignavum, qui talento accepto abierat, illudque 18. 24.
in terram defoderat. Non ergo tam mihi, quàm Deo & Chriſto 30.
Domino ſervire, eidemquè licet ad magis ſimul oneroſa vocanti, poſthabitis difficultatibus obedire oportuit.

Et his ipſis tamen vel ſublevandis vel tollendis ſua ſubſidia eadẽ Dei gratia & provida cura ſimul ſuggerere videtur. Dolori medetur
ipſa quoque in Deum & Præceptorem pietas. Quærere eum hîc 1 Cor: 12.
reducem Deus prohibet, & Sancta anima nollet. Non dubitamus 4.
cælis hanc illatam, ἀῤῥητα illa tractare ἐν πανηγύρει (ſive *Univerſi-* Heb: 12.
tate) & Eccleſia primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, 23.

& vita ſic frui æterna, ad quam, ut ſemper aſpiravit, & in poſtrema de ea diſputatione acquievit; ita perpetuis meditationibus, piis ſermonibus, fervidis precibus, placido obitu, ingreſſus fuit. Me quoque ſibi Succeſſorem, ipſum & multo tempore jam præparaſſe, & quaſi deſignaſſe, non ſine ratione poſſit videri. Indicia hîc non refero. Etſi igitur lugeam & doleam; obſequium tamen & Deo & Præceptori ſimul debere videor, ut ex innumeris diſcipulis ego ſaltem, licet minimus, & honorem, &, quam ſanam doctrinam in Belgii Confœderati Eccleſiis Reformatis ſonantem docuit, veſtigia ipſius premens, per Dei gratiam pro modulo meo proſequar, tuear.

Ad Fautores & Amicos quod attinet, eos mihi Divina Gratia tum alibi paſſim, tum in Confœderato Belgio, maximè in utraque Hollandia (in qua, ceu Patria altera, é Palatinatu humaniſſimè exceptus fui, atque circiter viginti duos annos transegi), & nuperrimè in Geldria, excitavit multos & eximios: Attamen & hos me animo poſthac quoque ſemper ſuum amplexuros confido; & hîc mihi non minores à Deo Opt. Max. acceſſuros expecto, imò & jam ſummos experior. Admodùm Reverendi *D. Doctoris Mareſii*, nunc Magnifici Rectoris, excellens doctrina, humanitas, fides & integritas, mihi ſæpius tantòperè commendata, adeò jam eſt perſpecta, ut me Dei beneficio beatum agnoſcam, quòd in tam Venerandi & Amici Collegæ amplexus devenerim. Idem namque de fido collega ſtatuo, quod de verè amico Syracides, *Amicus fidus valida eſt protectio, quem qui adeptus eſt, theſaurum adeptus eſt: Non eſt ejus precium, quo permutetur, & nullum eſt pondus æquans pulchritudinem ejus: Medicamentum eſt vitæ, quem, qui timent Dominum, conſequentur.* Inferiorem me porrò profiteor tanto favore, quo Illuſtres & Præpotentes hujus Provinciæ D. D. Proceres, & Nobiliſſimi atque Ampliſſimi D. D. Curatores hujus Academiæ me tanto viro Succeſſorem ὁμοθυμαδὸν deſignarunt; honorificè vocarunt; omnia obtulerunt, ut obtinerent; & humaniſſimè

(Marginal note: *Syr. c. 6. 14. 15. 16.*)

maniſſimè exceperunt. Plures inſuper mihi polliceor & veneror in ipſis Magnatibus Maximos Mæcenates. Jure meritoquè in his ſuſpicio Excellentiſſimos D. D. Legatos. Namque jam ante quadraginta quatuor annos *Illuſtris D. Camerarius* ex voluntate Sereniſſimi Electoris Palatini plurimùm laboravit Coloniæ, ut Socerum meum, *Johannem Bourgeſium* p. m. Eccleſiæ Gallicæ ibidem Paſtorem, ob fidei Profeſſionem apprehenſum, è vinculis vindicaret, unde poſtmodum Heidelbergam tranſlatus fuit. Obſtrictum me cum omnibus meis hoc nomine eo magis profiteor; quo favorem ego quoque ſummum ampliùs deprehendo. Obſervo certè plurium Ampliſſimorum virorum benevolentiam, qua gravioribus curis poſthabitis huic actui condecorando ſimul adeſſe non ſunt gravati. A Conſultiſſimis & Clariſſimis D D. Profeſſoribus reliquis, in Academia Collegis, omnem eo magis expecto φιλαδελφίαν, quo mihi officio, genere ſuo communi, vel ſtudiis jam arctiùs ſunt devincti, quod ipſum re quoque ipſa deprehendo, ut meritò acclamem, *Ecce quàm bonum & quàm amœnum eſt, Fratres habitare etiam unà.* Nominatim Reverendum & Clariſſimum Profeſſorem, *D. Jacobum Altingium*, mihi ſingularem Amicum, adeoque & Patrem adhuc in Filio, amplector. Vel exinde illud eſt manifeſtum, quòd ipſe tam facilis ablegari ſeſe ad me paſſus fuit, tamquè ſolerter & ſtrenuè inſtitit, ut me jam ſuum ſuis quoque impetraret; ego quoque eo me promtiùs dederim. De Venerandis & Vigilantiſſimis Eccleſiarum D D. Paſtoribus omnibuſquè aliis nihil mihi vel cogitandum ſentio ab amore alienum, quem præſentiâ & attentione etiam ipſos quaſi ſtipulari animadverto.

Unum illud remanet, quòd de tenuitate mea ultrò ſum confeſſus. Meo me pede metiri novi. Acumen non jacto ingenii; fucum in Divinis, Rationis aut Orationis, non affecto; verè inſuper ego cum Moſe, *Non ſum vir facundus*; *ſum impedito ore & impedita lingua.* Exod. 4. 10. Hæc ut initiò animum dubium penè avocarunt, ita

vel

vel nunc retraherent, niſi rurſus erigerent Magnorum, tum hîc, tum in aliis Confœderati Belgii Academiis & Eccleſiis, virorum judicia & incitamenta; præterquam, quòd eundem animum zelo flagrare idem dictat, in gloria & veritate Dei omnibus viribus provehenda. Nominatim eum addit veſtrûm omnium voluntas, æquitas, humanitas, charitas, ut nihil ampliùs po-
1 Cor: 4. ſtulaturos ſciam, quàm *ab œconomis requiritur, ut quis fidus inve-*
2. *niatur.* Maximè denique confirmat, Dei gratia & perpetua œconomia, ut Legatis ſuis præſtó ſit, & quos ungit, oleo ſuo non deſtituat, quod ipſe quoque tum in Miniſterio Eccleſiæ, tum in Illuſtri Geldro-Velavico Gymnaſio hactenus ſum expertus.

Atq; ita in nomine Domini me hîc ſiſto; & arduã hanc ſtationẽ ſubeo, ut ſimul tamen ad gratiæ divinæ thronum ſemper confugiã, & virtutem ex alto in neceſſariis Spiritus Sancti donis implorem.

Deus Opt. Max. Pater Miſericordiarum & Luminum, Dator munerum, totum porró faxit fauſtum & felix, proſperum & ſalutare, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum! *Obſecro Je-*
Pſ. 118. *hova, ſerva nunc! Obſecro Jehova, proſpera nunc!*
25. Cæterùm cùm in more ſit poſitum, Profeſſionem à tractatione aliqua auſpicari, quæ conveniat; eidem & nos aliquatenus morem geremus. Conſtitueramus verò de illa Inauguratione Domini & Servatoris noſtri dicere, quæ ad ejusdem Baptiſmum ante publicum Prophetici & Redemptorii Muneris in terris exerciti-
Matt: 3. um facta fuit, ab omnibus deſcripta Evangeliſtis. At verò tum
v. 16. 17. temporis hujus brevitatem, qua circumſcribimur, tum rerum
Marc: 1. amplitudinem illud non ferre obſervamus. De oſtento igitur
v. 10. 11. altero, Spiritu, inquam, viſo ſpecie columbæ, tantùm nunc
Luc: 3. v. agemus, atque in ſummam de eo quoque contrahemus, quæ
21. 22. de toto actu, Deo dante, pleniùs inſtituendæ diatribæ aliàs fortè
Ioh: 1. v. exhibebunt. Ne verò propter ordinem fluctuet & hæc diſſertati-
32. 33. uncula, priùs rem ſpectatam ejuſque obſervationem videbimus: Inde, quæ hinc nobis præcipuè nunc meditanda ſint, commendabimus.

bimus. Vos, quæſo, Auditores colendi, benevolè porrò attendite. Spiritus idem det, mihi loqui, ut oportet loqui; omnibus, ut dextrè obſervemus!

Viſus eſt Spiritus Sanctus deſcendere corporeâ ſpecie, quaſi columba, venire, & manere ſuper eum, Jeſum, inquam. Spectaculum aliàs nunquam viſum. Ejus tum deſcriptio, tum obſervatio eſt attendenda. Actus ipſe deſcribitur à ſua *cauſa*, *effectis*, *forma*, *&* *objecto*. Videndum ergò, *Quis*, *Quid*, *Quomodo*, *&* *Circa Quem egerit?*

Actor eſt *Spiritus* juxta Marcũ, & Baptiſtæ teſtimoniũ referentem JohannemEvangeliſtam. Idem Mathæo vocatur *Spiritus Dei*; Lucæ, *Spiritus Sanctus*. Tertia ergò indicatur ὑπόστασις ſive Perſona S. S. Trinitatis, ſuis ſic cauſſis uſitatè in S. Literis dicta. Quemadmodum autem in iisdem non eſt infrequens, ut Spiritus pro ſuis ſignis & donis atque effectis; adeoquè alicubi eſſe, & videri; venire, & redire; hoc vel illud agere dicatur per Metonymiam (ut Scholæ loquuntur) ſubjecti pro adjuncto, rei ſignatæ pro ſigno: ita & hîc initiò notandum. Spiritus enim eſt quidem cum effectis, donis, & ſignis ſuis conjungendus; ab iis tamen ſimul diſcernendus, nunquam cum iisdem confundendus.

Actiones hujus Spiritus cognoſcamus. Eum *Deſcendiſſe* ſcribunt Marcus & Lucas; Matthæus addit *&* *Veniſſe*; Baptiſta inſuper bis teſtatur, *&* *manſiſſe* ſuper eum, Jeſum videlicet. Gradatim ergo tria egit, *Deſcendit*, *Venit*, *Manſit* ſuper Chriſtum. Motus hi propriè ſunt locales, qui ſoli finito ſubjecto conveniunt. Infinito nonniſi impropriè tribui poſſunt. *Non loco movetur*, *qui ſemper & ubique eſt totus*, inquit Auguſtinus, quod ipſum è S. Literis eſt certiſſimum. Sanior idem ratio evincit, unde Hermes ſive Mercurius Philoſophus, à ſingulari ſapientiâ τρισμέγιστος inter ſuos vocatus, haud malè dixiſſe fertur, Deum eſſe ſphæram, cujus centrum ſit ubique, περιφέρεια ſive circumferentia nuſquam. θεοπρεπῶς igitur, hoc eſt, convenienter Deo,

& hæc

12

& hæc de Dei Spiritu accipienda ſunt, nempe ἀνθρωποπαθῶς; ſive per metaphoram ab humanis deſumtam, ut φανερώσει, ſive *apparitione* ſigni & ſymboli, externi ac viſibilis, internam atque inviſibilem teſtatus intelligatur unctionem & operationem. *Deſcendit*, inquam, ſigno è cœlis apertis dato, ut doceat eſſe ſeſe ex Deo, ipſumque Deum è cælis; & ſua dona cœleſtia, ex gratia data, ad cœlos ducentia. *Venit* porrò, eodem ſymbolo ad Jeſum uſque viſibiliter demiſſo, & ſeſe totum ſuper eum vibrante, ut ipſum quaſi digito porrecto verè illum unctum eſſe à Patre è cœlis, & ſe totum in eum absque menſura effuſum manifeſtet. *Manſit* inſuper, ſupra verticem Chriſti ſeſe eadem ſpecie columbæ aliquandiu vibrante, conteſtatus, in ipſo ſe pleniſſimè & eſſe & manere, atque exinde & ab illo nos quoque Spiritu baptizandos eſſe, (quo-
Ioh. 1. 33. modo, teſte Baptiſta, Deus ipſe ad ſignum illud promiſſum ſeſe explicat); qui idem cum ſuis etiam manſurus ſit in æternum.
Ioh. 14. 16.

Ad Formam externam, ſive ipſum Symbolum deſcendendum. Matthæus, Marcus, Baptiſta, apud Evangeliſtam Johannem, ajunt Spiritum deſcendiſſe ὡσεὶ περιστερὰν, hoc eſt, *quaſi columbam.* Lucas pleniùs, σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν, id eſt, *corporea ſpecie, tanquam columbam.* Videnda attentiùs tum ipſa columba, tum Spiritus manifeſtatio per eam. De utroque multum quærunt multi; magis ſæpe operoſè, quàm utiliter & fructuoſè, noſtro
Harm. ad Matt. cap. 3. Calvino judice. Nos ſummam expediamus, quantum licet, ut meditatio inde inſtituenda aliquanto ſit planior & plenior.

De Columba disquiritur, An vera? & Qualis ea fuerit? Veram fuiſſe affirmant alii; negant alii, qui inde porrò ſunt varii. Vel etenim hi nudam imaginariam ſpeciem fuiſſe volunt; vel φάσμα aut φαινόμενον aliquod in aëre, vel corpus aërëum, aut nubeculam; vel igneum aut lucidum; vel aliud aliquod corpus ſolidum ſpeciem columbæ præ ſe ferens. Clariſſ. Ravenſpergerus p. m. primus hujus Academiæ Doctor Theologus, (quem ante annos ferè viginti duos me hâc tranſeuntem humaniſſimè excepiſſe gratus recordor)

recordor) teſtatur fuiſſe, qui ignem ſive lumen cœleſte, ſeu radios cœlitùs effuſos ſtatuerint, ita ut ſtrepitus vel ſuſurrus ſit editus, qualem columbæ rei cuipiam inſeſſuræ concuſſis pennulis edere ſolent. Ἐπέχειν cum eodem Calvino noſtro malumus, quàm nimis cum quoquam contendere. Affirmativam interim ſoli dioribus niti rationibus videtur; inprimis ex hiſtoriæ & miraculi veritate, nec non analogiâ naturæ & proprietatum columbæ, ad Spiritum Sanctum, ejusque operationes & dona, haud fictè, ſed verè, & quaſi ad vivum deſignanda. Neque verò voculæ ὡσεὶ (i. *quaſi*) & εἶδος (h. *ſpecies*) columbæ, ſed Spiritus cauſſâ apponuntur, ut ſcilicet explicetur Spiritum S. deſcendiſſe & viſum fuiſſe non in ſeſe, neque ſuâ propriè naturâ, quâ eſt ἀόρατος, hoc eſt, *inviſibilis*, ſed quaſi columbam, ſive ſigno columbæ, eoque non imaginario, ſed verè corporeo, corporea ſpecie, ſive reali veræ columbæ ſpecie. *Hort. Theol. disc. 4.*

Qualis verò ea fuerit; Ex quo columbarum genere; Qua magnitudine; Quo colore; Quo motu acta? & ſimilia, aliteriſſimum eſt quærere. Neque etiam adeò laborandum, Unde formata, & Quid de ea poſteà factum fuerit? *Tertullianus* quidem, *Eadem ratione*, inquit, *corpus interceptum eſt, qua & editum fuerat. Si ſciſſes, cùm de nihilo proferebatur, ſciſſes cùm in nihilum ſubducebatur.* Interim talia ignorans indoctus non cenſebitur. Multo certè minùs & hoc miraculum capiemus, quàm Architæ volantem columbam ligneam. *Lib. de carn. Chriſti cap. 3.*

De manifeſtatione Spiritus per columbam duo potiùs inquiruntur: Modus unionis inter Spiritum & columbam; & Cauſa, quòd eâ ſe patefecit. Unionis modi ſunt quidem varii; certum tamen eſt hîc fuiſſe relativum & ſymbolicum, qualis eſt σχέσεως & relationis inter ſignum & ſignatum, ſacrum tamen; unde eodem tropo Spiritus, columba, & deſcendiſſe, veniſſe, manſiſſe, dicitur.

Quare autem S. Spiritus iſtac ſpecie, quaſi columba, apparuit, non quidem quæreremus (ſic enim voluiſſe ſatis eſſet) niſi

ratio comparationis ex analogia Naturæ & Scripturæ eſſet aperta, eaquè jucundiſſima & utiliſſima.

Ab altera parte columbarum natura & proprietates ſunt cognitæ; nec non quæ circa ea geſta, quaſi typica, in Sacris Literis conſignantur.

Naturam & proprietates columbarum, ut nunc recitemus prolixiùs, nec licet, nec adeò opus eſt. Namq; ea, quæ huc faciunt, vel fuſiùs deſcribuntur ab Animaliū, Avium nominatim, Scriptoribus, tum veteribus, tum recentioribus, Geſnero & Aldrovando; vel vulgò etiam ſunt nota, unde quædā verſiculis decantatis ſunt collecta;

Felle columba caret; roſtro non lædit; & ungues
Poſſidet innocuos; granaquè pura legit;
Gaudet aquis; quæritquè greges; celeriquè volatu
Tuta petit; fœtus educat alterius;
Maſculus ipſe fovet fœtus, atque incubat ovis;
Conjugii ſervant fœdera caſta ſui.

Lev. 1. 14. & 5. 7 & 12. 8 Luc. 2. 24. Lev. 14. 2. Gen. 8. 8 9. 11.

Inter geſta circa columbas, quaſi typica, cenſetur, quòd ex avibus fuerunt mundis, quarum eſus populo Dei olim erat conceſſus; quòd ex volucrum genere ad ſacrificia ferè ſolæ adhibebantur, præter aviculam ſcilicet, cujus uſus erat in luſtratione leproſorum mundatorum; quòd diluvio ceſſante columba à Noacho emiſſa terræ exiccationē, ejusq; rationem, quaſi fida internuncia, docuit allato olivæ folio, quaſi de ſedatis aquis Pacis ſymbolo;

Ab altera parte ex S. Sriptura de Spiritu Sancto ejuſquè virtutibus ac donis conſtat, quibus & Chriſtus ſimul eſt pleniſſimus, & fideles, tanquam membra ſua, ex ſeſe per eundem Spiritum ungit & imbuit; adeoquè quaſi ſpirituales columbas, ſibi ſimiles, efficit; ut gratus Deo ſint cibus, munda ſacrificia, pacemquè cum Deo habeant. Hinc etenim Chriſtus quoque in Canticis Salomonis columbæ, & oculi ejus columbarum oculis juxta alveos aquarum comparantur, ad ſummam ejus ab omni peccati labe munditiem, manſuetudinem, & de ſuis curam commendandam.

Cant. 5. 12. al. 11

dandam. Scilicet *ita & hic Columba Agnum illum Dei monſtrat*, ut eleganter loquitur Bernhardus. Eccleſia verò *Ipſius columba* ibidem appellatur ſœpius; ejusdemquè natura, pietatis ſtudium, patientia, ſimplicitas & integritas, aliæque virtutes paſſim in S. Literis, & Veteris & Novi Teſtamenti, ſimuli columbarum illuſtrantur. *Cant. 2. 14. & 5. 2. & 6. 9. Cant. 1. 15 & 4. 1. Mat: 10. 16.*

Dignum quidem foret ac jucundum ſingula deducere, ſed tempus non ferre agnoſcimus.

Ex ipſo ſpectaculo reliquum eſt, ut altiùs repetamus, circa quem Spiritus Sanctus ſeſe dicto modo manifeſtarit. Nullum autem eſt dubium, hunc unum illum Jeſum eſſe, cui ex aquis egreſſo & oranti cœli quoque ſunt aperti, & quem vox exinde facta nominatim adeò commendavit. Filius, inquam, ille eſt Dei unigenitus & æternus; filius item hominis, in plenitudine temporis ex muliere factus, habitu inventus, ut homo; unus tamen perſonâ; humanâ ſcilicet naturâ à divinâ in unitatem ſuæ ſubſiſtentiæ aſſumtâ; ille ipſe, in quo uno Pater nos dilexit, ſibi reconciliavit, acquieſcit.

Super hunc Spiritus, ſpecie columbæ, deſcendit, venit, manſit, in publicum coram toto populo & mundo teſtimonium; Eum unum Perſonâ, Virtutibus, Officiis, & Beneficiis eſſe Meſſiam & Chriſtum illum à Patre ordinatum, Spiritu S. unctum, citra menſuram præ conſortibus ſuis, in ſummum Prophetam, Sacerdotem, Regem; cujus cum Patre idem ſit Spiritus; qui idem Miniſterium Spiritus mox pleniùs erecturus; & Spir. S. baptizaturus eſſet. Hunc, inquam, ſeſe ſuper verticem ejus vibrans monſtrat, à Johanne Baptiſta & aliis omnes avocans: Hunc ipſi Baptiſtæ annunciandum, omnibus fide admittendum, pietate colendum commendat. Atque ita teſtatur impletum, quod de uncto ſuper Zionem, montem ſanctitatis Dei; de unctione Spiritus; de hoc in Chriſto quieturo; ejuſquè variis donis, virtutibus, & bonis, prædictum fuit, de quibus aliàs. Neque enim ſingula hæc nunc licet pertexere; *Pſal. 2. 6. & 45. 8. Eſa. 11. 2. & 42. 1. & 61. 1. Luc. 4. 18 Ioh. 1. 34 Heb. 1. 9.*

xere, quomodo neque reliqua, quæ ad Unctionem Chriſti pertinent.

Fuit ergò hic actus Chriſti Introductio & Inauguratio ſolennior, ut tanquam divino Augurio ad publicum Muneris exercitium ampliùs intromitteretur, illuſtriùs maniſeſtaretur, ſummè commendaretur.

Oſtentum ipſum ſpectavimus. Obſervatum fuiſſe & viſum, certum eſt. A quibus verò, & Quomodo, paucis reſtat addendum. Lucas præterit; Marcus expreſſè Chriſtum ait vidiſſe; Baptiſta ſibi teſtatur promiſſum, ut videret, atque ita viſum eſſe. De Matthæo non multùm laborandum, quò illud *Et vidit*, referendum; & An particulæ ἐπ' αὐτὸν ſint vertendæ *ſuper eum*, an verò, quaſi Atticiſmus ſit, pro ἐφ' αὐτὸν, *ſuper ſe*, cujus exempla ab aliis quoque obſervata colligit Clar: *Gomarus*, & ipſe ὁ μακαρίτης, cujus viri memoria mihi quoque nominatim jucunda eſt propter conſuetudinem, qua in Recognitione Novæ Bibliorum Veteris Teſtamenti Verſionis Belgicæ cum ipſo ſimul, ut & cæteris viris Clariſſimis, ex decreto & nomine Synodi Hollandiæ Borealis, tam diu familiariter frui datum fuit. Nam & Chriſtus vidit, & Johannes; Imò & populum vidiſſe ſtatuimus: ille vidit, ut confirmaretur in officio Redemtorio publicè ſubeundo; iſte, ut certior de Meſſia teſtaretur; hic, ut agnoſceret, reſipiſceret, & crederet
Marc.1. 15. Evangelio. Et hìc igitur Chriſto dicere licuiſſet, quod ad ſimi-
Ioh.12. 30. lem Dei vocem è cœlis, *Non propter me hæc vox extitit, ſed propter vos.*

Quomodo verò Spiritus viſus ſit, verbo dicimus: Non propriè in ſeſe, oculis corporis (φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, hoc eſt, *lucem*
1.Tim.6 16. *habitans inacceſſam, quem videre nemo hominum poteſt*); ſed impropriè, & συμβολικῶς, quatenus ſeſe ſpecie columbæ manifeſtavit.

Atque ita, qùam fieri potuit breviſſimè perſtrinximus tum ſpectaculum Spiritus, ſpecie columbæ; tum ejus obſervationem.

Altera orationis pars de iis, quæ, cum aliàs, tum ad hunc actum nobis nunc inſerviant, eo poſſit videri minùs neceſſaria, quo

omnia

omnia illa ab omnibus aliis jam ſunt nota rectiùs, & obſervantur accuratiùs; à me verò, per Dei gratiam, poſthàc doctrinâ & opere magis magisquè probanda ſunt ampliùs. Ordini tamen & decoro pro more & hîc obſequamur.

Non licet autem, ut hinc pluribus aſſeramus ſumma Fidei noſtræ myſteria de Sacro ſancta Trinitate, quam Patres Orthodoxi vindicaturi ad Jordanem hæreticos ablegabant, ubi ſeſe manifeſtat *Deus Pater* in voce, *Filius* in carne, *Spiritus Sanctus* in ſpecie columbæ:

De Perſona, Officio, Adventu, Statu, Beneficiis Meſſiæ, Chriſti & Uncti Domini, qui promiſſus verè jam venit, noſterquè eſt Jeſus:

De Spiritus Sancti Deitate, operationibus, ac donis variis, quibus in Chriſto eſt totus absque menſura, atque exinde per gratiam è cœlis datur, operatur, & permanet in ejusdem membris, diſtribuens ſingulis, ſicut vult:

De Eccleſia, ejuſq; varia œconomia, in Veteri & Novo Teſtamẽto, & hujus præ illo præſtantia, in Miniſterio Sp. & Pacis Evangelio:

De ſacris ſignis, ſymbolis, Sacramentis; eorumquè cum verbo, & inter ſe, convenientia, differentia, varietate, phraſeologia, & uſu reliquo:

De toto Dei cultu, in omni virtute Spiritus, σωφρόνως ϗ δικαίως ϗ εὐσεβῶς, hoc eſt, *temperanter*, *& juſtè*, *& piè*, ab omnibus Chriſtianis, ſimiliter ſcilicet unctis, & ſacris columbis, exercendo: Tit. 2.1

Nominatim de Eccleſiæ Doctoribus; Extraordinariis, Ordinariis; ſub uno illo Chriſto ſummè Uncto, Propheta, Sacerdote, Domino omnium; indequè de felici eorum quoque inauguratione; in ipſorum quoque legitima à Dei gratia vocatione, fideli Chriſti Immanuelis annunciatione, donorum Spiritus Sancti excitatione, mutua officiorum cujusque obſervantia, ſtudio, fide, pietate, ad Deum deprecatione. Prætereo alia.

Aciem porrò exinde inſtuere Dei gratiâ poſſemus validiſſimam

adverſus omnis generis errores, hæreſes, ſuperſtitiones.

Adverſus Judæos & Mahumedanos, de illo vero Meſſia, Chriſto, & Uncto, Jeſu noſtro; unde eo magis deteſtamur *Cuſpin. de Imperat.* impuriſſimi & truculentiſſimi Mahumedis imposturam, qua, referente Cuſpiniano, columbam, auribus grana in paſtum imponendo, aſſuefecit, ut ſubinde ad aures advolaret; atque ita ſe quoque dictante Spiritu Sancto, ſpecie columbæ, prophetare, blaſphemè mentitus eſt.

Adverſus Antitrinitarios, Arianos, & πνευματομάχους Macedonianos; nec non Infauſtos Socinianos, & quotquot cum illis faciunt: Marcionitas porrò, Anabaptiſtas, Ubiquitiſtas; Pelagianos quoque varios, & Novatores his ſimiles, Gratiæ & efficaciæ Spiritus Sancti magis reſiſtentes, liberi verò ſui arbitrii & apoſtaſiæ nimis amantes.

Adverſus ſuperſtitiones varias non tam Syrorum, & Veterum & recentium, ab eſu columbarum religione quadam minùs religioſè abſtinentium; quám Pontificiorum, qui ſuum inſuper imaginum, atque in iis variarum effictarum columbarum, cultum. *Bellarm. lib. 2. de Imag. c. 8. §. Secundò Deus.* & luſum; imó & Dei ac Sacro Sanctæ Trinitatis imagines hinc ſtabilire non erubeſcunt, eò quod Spiritus Sanctus hîc in forma ac ſpecie columbæ apparuit. At verò (vindicandum etenim) ſignum hoc fuit extraordinarium; à Deo adhibitum; ferè momentaneum, & iſtius ſolùm temporis; nunquam aliàs ſpectatum; nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis vel Apoſtolicis viris expreſſum; columba, inquam, planè alia, non religioſæ effictionis vel adorationis cauſſâ, ſed alio fine & ſcopo oblata. Neque etiam ἀκριβῶς loquendo, ipſius Spiritus Sancti imago fuit, ſed ſymbolum quoddam ad ipſius præſentiam & dona denotanda, quomodo auditum. Quid igitur hæc columba ad ipſos, & ad imagines, vel *Tyrin. ad Matt. c. 3.* Dei, vel alias, ipſis ordinarias & perpetuas, adverſus Dei mandatum? quid ad columbas pictas; vel è lapide, ligno, metallo, argento, auro effictas; nominatim cùm plerique ex ipſis hanc non

veram,

veram, ſed vel aërëam, vel imaginariam, adeoquè fictam columbæ ſpeciem fuiſſe ſtatuant, eoquè veriùs imagines ipſis ſint *Doctores falſi* & *figmenti.* Scilicet ſic Antichriſtus, ſcopo prorſus alio & adverſo, à Chriſto uno ad plura alia, à rectis ad avia, à cœlis ad tartara inferna, Spiritu malo, abducit, ut ut ſæpe in Angelum lucis ſeſe transformet; quomodo, qui nunc ſedet in apice Papa, nomine Innocentius X. audit, & ſigno ſeſe oſtentat columbæ, folium olivæ roſtro gerentis, additoquè hoc ſymbolo gaudet, *Foliis inſignis olivæ.* Antichriſtum etenim potiùs retulerit dirus & feralis bubo, qualis etiam interdiu horrificâ voce advolaſſe, veniſſe, & ſuper Papam Johannem XXIII in trabe templi manſiſſe fertur, ut neque clamoribus neque fuſtibus ſeſe pateretur abigi, quando is Romæ Concilio præſidebat; quem ipſum poſtea præter Gregorium XII, & Benedictum XIII propter Simoniam & hæreſes à Concilio Conſtantienſi ſede Pontificiâ dejectum Ludovicus Princeps Bavarus ac Palatinus, ex voluntate Synodi & Imperatoris Sigismundi, Heidelbergæ & Manhemii per triennium captivum tenuit, donec ſeſe à Papa Martino V. ſucceſſore ſolutione (30000) tricies millium ducatorum redemit.

Hab. 2. 18. *Nicol. Clem. in Catal: Teſt. verit:* *Hiſt. Palat:* *Platina.* *Cluver:* *Gutberl.*

Qui hinc ad omnem quoque pietatem & virtutem aculëi omnes omninò incitent, non adeò hujus eſt loci & temporis monere. Inprimis in Academia, etſi jam omnibus ſtrenuè currentibus, calcar addunt ſingulis ordinibus, quotquot vel *docent*, vel *docentur*, vel *utrorumque curam gerunt.*

Docentes ultrò profitentur Jeſum illum, unum Dominum & Domini unctum; ſummum Doctorem, Sacerdotem, Rectorem; per quem Spiritum S. ejusquè dona in ſe quoque deſcendere agnoſcunt; cui proinde in omni Facultate, arte, ſtudio, & exercitio, ore & calamo, inſtitutione & converſatione, maximè famulari & ſervire geſtiunt, *Ipſe* ut *omni modo* & *in omnibus magnificetur.* *Phil. 1. 20.* Spiritum Sanctum ſimul venerantur Curatorem Summum,

qui

1.Cor. qui idem ordinavit & ornavit ſingulos ſuis ſtationibus & dotibus.
12.4.11. Namque (ut illud Apoſtolicum adhibeam) *Diſtinctiones Donorum ſunt, ſed idem Spiritus; Et Diſtinctiones Miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus; Et Diſtinctiones Actionum ſunt, ſed idem eſt Deus, agens ea omnia in omnibus. Vnicuique verò datur declaratio Spiritus ad utilitatem. Nam huic quidem per Spiritum datur Sermo Sapientiæ; alii verò Sermo Cognitionis per eundem Spiritum; Alteri verò fides per eundem Spiritum; alii verò donum ſanationum per eundem Spiritum; alii verò operatio virtutum; alii verò prophetia; alii verò diſcretio ſpirituum; alii verò genera linguarum; alii verò interpretatio linguarum. Sed omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus, diſtribuens privatim (illa) ſingulis, ſicut vult.* Spiritum eundem iidem amant referre (ſi ſic loqui liceat) corporeâ & viſibili ſpecie, quaſi columbæ, ut virtutibus tales *in ſe*, *mutuò inter ſe*, *erga alios ex ſe*
in Matth reverâ ſint & appareant; id quod egregiè *Anſhelmus* Prædi-
cap.3. catoribus in Eccleſia commendat, haud minùs Doctoribus in Scholis, Eccleſiæ ſeminariis, conveniens.

Ingenua ac Studioſa Juventus, ſuarum quid ſit partium, nominatim quoque hinc facilis obſervabit. Neque enim pudebit quemquam columbæ hactenus aſſimilari, in qua ipſum Spiritum Sanctum apparere, & ſeſe atque Filium illum Dei, Dominum ac Servatorem noſtrum, nec non ex eo omnes fideles Dei filios, à ſuis officiis & virtutibus depingere non puduit. Gratiſſimum potiùs erit diſtinctiùs obſervare, qua in ſtudiis ipſis aſſiduitate, in moribus probitate, in ſacris pietate, in omnibus ſinceritate converſari conveniat ſingulos; inprimis S. Theologiæ initiatos.

De ſtudiis inſtituendis en adumbratam methodum. Columbæ poſſident commune περιστεροτροφεῖον, & ſingulæ ſua loculamenta; gregatim ad paſtum advolant; grana legunt pura, & limpidis potantur aquis, roſtrum eis, quàm poſſunt penitiſſimè, inſerendo, nec collum reſupinando, donec biberint, quantum ſufficit; unde & à κολυμβᾶν, id eſt, *urinare*, dictæ putantnr; alias porró
ſecum

ſecum adducunt ; fæcundæ ſunt, fœtusquè ac pullos aliarum quoque fovent; in ipſis etiam aquis inter bibendum oculis perſpicaces vel umbram obſervant accipitris, ut fugiant. *Adoleſcentes Studioſi* ita in Scholis & Academia poſſident publica omnes auditoria, ſua ſinguli muſæa; ad Lectiones & Exercitia (animorum paſtum) adſunt frequentes; ſanas doctrinarum ſententias colligunt, atque inſtitutionum limpidiſſimas, è fonte præcipuè Iſraëlis, aquas affatim hauriunt, haud reſupinantes, donec ſeſe cognitionis ubertate implerint, quantum muneribus in Eccleſia & Rep. obeundis opus eſt; alios & ſeſe mutuò exercent & excitant; magis magisquè fæcundi quotidie proficiunt, & fœtui meditationum Doctorum & meliorum Autorum aſſiduè incumbunt; noxios interim errores, atque vel umbram eorum, quocunque fuco & παραλογισμῷ ἐν πιθανολογίᾳ, hoc eſt, *falſa & deceptrice ratiocinatione in ſermonis probabilitate*, obducti ſint, oculis illuminati, cautè obſervant, vitant.

Morum quoque & vitæ regulam Columbæ phyſiologia delineat. Eſt munda; in fecibus & cœno non reſidens; cadaveribus & morticinis non inhians; abigitur fœtore & nidore; nitore delectatur & ſuavi odore: Eſt amica, blanda, ardens amore, & mutuo, & in fætum, (unde & Græcis περιστερὰ vocatur, quòd περισσῶς ἐρᾷ, hoc eſt, *vehementer amat*): Eſt patientiſſima; variis quidem expoſita injuriis & oppreſſionibus (unde & Hebræis יונה, *Jonah*, volunt appellatam); attamen manſueta, ut in proverbium abierit, πραότερος περιστερᾶς, hoc eſt, *mitior columbâ*; roſtris non ſæva, unguibus non violenta, felle non amara, adeò ut fel habeat vel nullum, vel valdè exiguum, vel non adhærens loco ſuo, ſive jecori, (Variant etenim Ornithologi): Eſt omninò benefica, *Vid. Ul.*
& utiliſſima, toties pullos edens in cibum, & ipſa cum fætu to- *Aldro-*
ta in variam cedens medicinam. *Quotquot caſtas Muſas amant*, *vand. de*
ſimiliter decet animi & corporis mundities, ne ſe volutent in cœ- *columb.*
noſis helluationibus, neque operam dent mortuis carnis operibus;

C ſed odio

Rom. 12. ſed odio habeant omnem ſpurcitiem & fœtorem, quem Spiritus
17. Sanctus ferre non poteſt; procurent verò honeſta, in odorem
Phil. 4. bonæ fragrantiæ: ſanctè & ſeſe mutuò, & alios, ſeriò diligant;
18. injurias patienter ferant, placidi & manſueti malum pro malo non
Rom. 12. reddentes: Omninò utiles & benefici, ut toti erga omnes, omni offi-
9. 10. 17. ciorum genere, tum privatim tum publicè, in Eccleſia & Poli-
tia, pio ſint uſui & ſaluti. Ita ſiquidem nominatim ſuum horta-
1. Tim. 4 tur Thimotheum Apoſtolus, *Fuge iſta, ô homo Dei, & exemplar*
12. & 6. *eſto in ſermone, in converſatione, in Spiritu, atque ſectare juſtitiam,*
11. *pietatem, fidem, charitatem, caſtitatem, tolerantiam, lenitatem.*
Fructus hi ſunt Spiritus Sancti. Chriſti quoque ſunt veſtigia.
Imitatores ejus cum omnibus ſanctis eſſe convenit.

Pietatis ſimul in ſacris erga Deum exercitiis picturam eadem exhibet Columba. Ex avibus eſt cœli; locis altioribus, cavernis petrarum, turribus, tectis, ſe ſuoſque tutiùs credit; amat interim cœtus hominum; ſedens, eſt quaſi meditabunda: valdè timida eſt, metuens accipitrem, milvum, noctuam, & ſimiles volucres è raptu viventes; à quibus ſeſe abdit, aut fugit, aut tinnunculo ſympathiâ aliquâ adhærens ſe defendit; murem quoque metuit, felem, muſtelam, lacertam, atque hujus generis terræ animalcula, unde nidorum altitudine, vel fuga ſibi conſulit; adverſus morbos, putredinem, & vermes, in ſe ipſa & in nidis, ſolicitè ſibi medetur curâ perpetuâ, ſalſis & odoriferis ſeminibus, & herbis, nominatim lauri; denique pro cantu vel voce acriore querulum tantùm edit gemitum. *Piè Studioſi* hic eſt animus. E cœlis eſt veriùs; in Petra, Chriſto, confidit tutiùs; in cœleſtibus ſpem ponit certiùs; quæ ſuprà ſunt, quærit meliùs; amat ſuis temporibus habitare in domo Domini, & adeſſe ſacris cœtibus. In Lege Domini meditatur interdiu ac noctu. Ab infernali accipitre, noctua, & ſimilibus gryphis ſibi metuens per fidem in gratia divina acquieſcit; ad Deum fugit; Chriſto Duce arma indutus Spiritus fortiter reſiſtit. A mundanis, terræ filiis, ſibi proſpicit; altiora meditando;

meditando; eos fugiendo. Veterem hominem, qui de ſeductricibus cupiditatibus ſe corrumpit, magis magiſque deponit; novum autem induit; ideoque odoratu aromatica ſalutiferæ gratiæ ſemper ſeſe erudit; & foliis ſacris victoriæ per Spiritum erigit; atque ita cum timore ac tremore ſalutem conficit. Denique absque murmure precibus ad Deum perpetuò gemit, quibus ſe & ſtudia ſua feliciſſimè promoveri & ſuccedere agnoſcit. Rectè etenim iſta Columba & Philo-Mela Germaniæ canit, *Phil. 2. 12.*

Nullius eſt felix conatus, & utilis unquam,
Conſilium ſi non detque juvetque Deus;
Tunc juvat ille autem, cùm mens ſibi conſcia recti,
Mandati officii munera juſta facit,
Et ſimul auxilium præſenti à numine Chriſti
Poſcit, & expectat non dubitante fide.
Sic procedet opus fauſtum populisque tibique,
Diriget & curſus aura ſecunda tuos.

Poſtremò ſymbolum petitur, quo modus contineatur in ſtudiis, vitâ, ſacris, in omnibus, obſervandus? Simplicitatem habes columbinam. Non eſt hæc illa ſtoliditas, quâ aliàs notatur, dum nimis credula ſibi non ſatis cavet, ſed illecebris (*moſchi* præſertim) ineſcata, aut dulciori voce vel fiſtula aucupis intendiculas allecta, capi ſe nimis patitur facilè: ſed ſinceritas illa eſt & conſtantia cum prudentia conjungenda. Ita namque Chriſtus diſcipulos ſuos prudentiam cum ſimplicitate & ſimplicitatem cum prudentiâ, eaque ſerpentinâ, in cavendis malis temperare docet, dicens, *Eſtote prudentes, ut ſerpentes; & ſimplices, ut columbæ.* *Matt. 16.* Idem inculcat Apoſtolus monens, *Volo vos ſapientes eſſe in rebus bonis, ſimplices verò in malis.* *Rom 1 19.* Prudens ergò ſit ſimplicitas, & ſimplex prudentia. *Prudentia absque ſimplicitate, malitia eſt; & ſimplicitas absque ratione, ſtultitia*; ut rectè ait Hieronymus. *Hieron ſuper H* Ex prudentiæ igitnr monito Adoleſcentes ſtudioſi proſpicient, ne cuivis vel quidvis credant, aut nimis ſe familiares adjungant,

ſed omnes & omnia ordine, tempore, loco, fine, ac modo ſuo;
1.Theſſ. probè explorent, dijudicent; & diſcernant, quod bonum eſt, re-
5.12. tineant. *Sapienti ſcilicet*, teſte Regum Sapientiſſimo, *ſunt ocu-*
Eccl.2. *li in capite; & Sapientis animus novit tempus & rationem.* Ex
14.(al. Simplicitatis tamen præſcripto agent ſimul omnia, *Sincerè, & Con-*
15)& 8.5 *ſtanter*, ut Columbæ (Duo enim iſtæc complectitur). *Sincerè*, in-
al.4.) quam, candidè & ſeriò; ut nihil ſit fictum, fucatum, adulte-
rinum; nulla ſit milvi vel vulturis vafricies, corvi, ſive corni-
cis, cantus ominoſus, nycticoracis acclamatio feralis; non cor ſit
duplex, lingua doloſa; neque leviter abſque cauſſâ, vel eâ non
ſatis cognitâ, aut gravi, ſiniſtra ſuſcipiatur aut foveatur ſuſpicio,
quæ ceu peſtis ac venenum judicium & actiones omnes inficit at-
que corrumpit. *Conſtanter* porrò & ſtrenuè curſus rectus inſtitu-
atur & abſolvatur, ne usquam vel unquam pes ſubſiſtat, ſubſidat,
deflectat, retrocedat. Hanc ſimplicitatem, in ſinceritate & con-
1.Cor.13 ſtantia, vera quoque habet atque ab omnibus poſtulat Charitas,
4.7. docente Apoſtolo. Et hoc ipſum etiam verè ſacrum fuit ſymbo-
lum Illuſtriſſimo Principi Palatino, Johanni Caſimiro, nun-
quam ſatis laudato, *Conſtanter & Sincerè.*

De Illuſtribus & Præpotentibus hujus Provinciæ, Groningæ & Omlandiæ, Ordinibus & Proceribus, adeoque de Nobiliſſimis & Ampliſſimis hujus Inclytæ Provincialis Academiæ Curatoribus, Dominis & Mœcenatibus noſtris, abſit! ut hinc monendis vel minimùm cogitemus. Amplioribus profectò præconiis eorum benevolentia, fides, & cura, jam abundè toti mundo ſpectata, ab aliis potiùs eſt prædicanda, quàm ego aſſequi poſſim. Notiſſimum, quantâ illi munificentiâ hanc Academiam, ceu ſacrum περιστερεῶνα ac *Columbarium*, erexerint, atque etiamnum foveant; quantâ hi prudentiâ & fide curam ſuſtineant. Viros in omni Facultate & Diſciplina Clariſſimos, & Studioſos ex omni Europæ angulo plurimos ſemper humaniſſimè evocarunt, liberaliſſimè habuerunt. Et licet doleant ex illis ſubinde Deum inſignes viros avocare;

avocare; animum tamen non deſpondent, quin alios ſummâ rurſus benevolentiâ ſubſtituant & amplectantur. In me certè eam probatam teſtor maximè, etſi me eâ inferiorem profiteor. Quâ etenim illis eſt gratum videre, ut Spiritus Sanctus & hîc deſcendat, veniat, maneat, quaſi columba; ut Chriſtus unus maximè doceatur, agnoſcatur; ut & hinc ſacræ columbæ edoctæ emittantur, quæ folium olivæ, atque *Evangelium pacis* de ſedatis aquis diluvii iræ divinæ, in pace deferant ad arcam Eccleſiæ, paſſim militantis; quæ item internunciæ ſint ad eandem Dei civitatem, quaſi cinctam & obſeſſam hoſtibus, de Chriſti partâ victoriâ, præſentiâ perpetuâ, liberatione beatâ certò expectandâ. Quas non tum Deo tum ipſis omnes debent gratias? Quàm ſtudioſè pro omnibus decet precari, ut Deus eos omni benedictione magis magiſque locupletet, dicendo de ſingulis cum Judæorum Senioribus, intercedentibus pro Centurione ad Chriſtum, *Certè* *Luc.6.* *dignus eſt, cui hoc præbeas. Diligit enim gentem noſtram, & Syna-* *4.5.* *gogam ædificavit nobis.*

Ad extremum odorifera hinc decerpenda eſſet panacea ad omnis generis animorum vulnera ſaluberrimè lenienda & ſananda, de Dei Patris dilectione; Chriſti Redemtione; Spiritus Sancti Unctione: de dulciſſimo Miniſterio Spiritus, Pacis Evangelio: de Columbâ illâ, Eccleſiâ, atque omni fideli animâ, quam Chriſtus ſibi ſanguine acquiſivit, Spiritu unxit & ſanctificavit; quam hîc trepidantem, hàc illàc fugientem, gementem, ſibi tamen habet adeò amatam, & unicam; quam hîc intuetur & tuebitur, poſthàc verò pleniſſimè glorioſam, alis tectaã argento, pennis fulvo *Pſal.68.* auro effoſſo, ad ſeſe in altiſſima, in cœlum cœlorum, faciet con- *14* volare, velut columbæ ad feneſtras ſuas. Sed patientiâ veſtrâ *Eſa. 60.* nimis jam abuſi hîc abrumpimus. *8.*

Finem ergò tandem, Auditores mihi plurimùm colendi, huic diſſertatiunculæ imponimus. Vidimus priùs tum oſtentum è cœlis divinum, quo Spiritus Sanctus deſcendit, venit, & manſit, cor-

reâ ſpecie, quaſi columba, ſuper Jeſum recens baptizatum, & mox publicè aggreſſurum officium Summi Prophetæ & Redemtoris unici: Actus hic fuit ſecundus Inaugurationis Chriſti, verè cœleſtis, quo mundus magis ſolennem, aut ei parem, nec habuit, nec expectare vel poteſt vel debet, ſive ſpectentur Perſonæ ſeſe manifeſtantes & præſentes, ſive ſigna & res ſignatæ, ſive finis
Gen.41. & effecta; omnia omni modo divina. Terrena fuit, neque
42.43. cum hac comparanda inauguratio vel Joſephi, Domini conſtituti
1.Reg.1. ſuper univerſam terram Ægypti; vel Salomonis à Patre Rege
33.34.35 Davide in Regem inſtituti. Umbræ fuerunt; ut & illæ de Aa-
Exod.40 rone & Eliſa. Simile quid ſemel exhibitum, quoad Spiritus
12. *Lev.8.2.* manifeſtationem, in prima Novi Teſtamenti Pentecoſte in A-
& ſeqq. poſtolis Chriſti, Servis hujus Domini, à quo ſcilicet per eundem
2.Reg.2. Spiritum inſtructi, & Doctores Oecumenici ſunt inaugurati. Inauguratio certè hæc Chriſti verior & felicior fuit, quàm unquam
Act.2. Ethnica Superſtitio finxit, & vocavit, *Cum Bona Alite.*

Obſervavimus inde ſumma fidei noſtræ myſteria: validum plurium errorum & ſuperſtitionum ἔλεγχον: digniſſima omnium officia nominatim *Docentium, Diſcentium, & Curantium utrosque*: ſuaviſſima denique ſolatia. Omninò Hieroglyphicum in Columba extat non fictum aut profanum, Veneris aut Semiramidis, quibus eam ſacram eſſe Poëtæ finxerunt; ſed verum & ſacro ſanctum Spiritus Sancti, ipſius quoque Chriſti, & verè Chriſtiani cujuscunque, in Academia maximè.

Prolixiorem me fuiſſe, neque ſatis tamen pro dignitate tum rerum tum hujus ſimul actus noſtri dixiſſe confiteor, deprecor.

Quod reliquum eſt, *Magnifice D. Rector; Nobiliſſimi & Ampliſſimi DD. Curatores ac Proceres, Patriæ Patres; Excellentiſſimi DD. Legati; Reverendi, Conſultiſſimi, & Clariſſimi DD. Profeſſores; Venerandi & vigilantiſſimi DD. Paſtores; Spectatiſſimi & Humaniſſimi DD. ac Hoſpites reliqui; Domini, Mœcenates, Collegæ, Fratres, Fautores, & Amici, ſuo quisque loco mihi honorandi omnes;*

vosque,

...ꝗque, Nobiliſſimi, Præſtantiſſimi, Ornatiſſimi, DD. Studioſi juve-
nes; quæcunque de ſingulorum officiis dicta ſunt, ut jam cognita
& reipſa probata ſunt hactenus ab omnibus, ita eadem, atque
erga me nominatim humanitatem, æquitatem, favorem & amo-
rem ab unoquoque veſtrûm, quâ debeo obſervantiâ, obnixè peto,
imò certò expecto. Namque vel jam illud deprehendo, dum
tantâ frequentiâ, benevolentiâ, & patientiâ me dicentem audire,
& hanc panegyrin condecorare voluiſtis.

Ad me quod attinet, quod in Ethnicis Sacris & Auguriis Pon-
tifici per Præconem acclamatum fuiſſe Plutarchus refert, *Hoc age*,
mihi ex officio, maximè à Deo injuncto, dictum agnoſco. At-
que ita, per Dei gratiam Spartam hanc ingreſſus pro viribus annitar,
ut præclarum illud *depoſitum cuſtodiam, atque* ὑποτύπωσιν, hoc eſt,
expreſſam formam, teneam ſanorum verborum in fide & charitate, 2. Tim. 1.
quæ eſt in Chriſto Jeſu, qui mihi unus ſcopus, & cum Cypriano 13.
Amor meus, atq; cum Apoſtolo, ἐμοὶ τὸ ζῆν ὁ χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, Phil. 1.
hoc eſt, *Mihi vivere Chriſtus, mori lucrum.* Orthodoxiam & 12.
ſaniorem Theologiam ut pro donis mihi à Deo conceſſis profitear
& tuear, ſtudebo. Deum Triunum, Patrem & Filium & Spiri-
tum Sanctum, vereor & adoro. Dominis, Superioribus, &
Mæcenatibus debitum honorem; Collegis φιλαδελφίαν ac frater-
nam concordiam; Paſtoribus obſervantiam; Hoſpitibus & Ci-
vibus humanitatem; Studioſæ juventuti fidelitatem; omnibus
charitatem, æquitatem, & officia omnia, Dei me conſervante
gratiâ, magis magisquè probabo. Tibi nominatim, Vir admo-
dùm Reverende & Clariſſime, *Doctor Mareſi, Magnifice D.
Rector*, in Theologica Profeſſione Collega optatiſſime, me ſe-
cundùm Deum totum offero, dedo, conſecro: A te quæcun-
que deſiderari poſſunt, nullus dubitans certò mihi polliceor. E-
veniet ita, largâ Dei Gratiâ & Benedictione, atque adeò (ſi ſic
ſaniùs loqui liceat) C*um Bona Alite*, ut aliquatenus jacturam
reſtauremus, & damnum reſarciamus, quod tum alii, tum nos
in Beato

in Beato noſtro *Altingio* paſſi ſumus; ut, inquam, ceu gemi-
Verg. 6. AEn. næ columbæ, non Dodonæa oracula, vel aureum Poëtæ ramum, ſed verè Dei verbum & Sapientiam auro præſtantiorem, in Chriſto vitæ arbore, profiteamur ad plurimorum ſalutem æternam. Hoc gratum foret, ſi noſſet, beatæ iſti animæ: optatum certè eſt Nobiliſſimis & Ampliſſimis DD. Curatoribus; Clariſſ. DD. Collegis, inque iis D. Altingio filio; imò omnibus omninò. Hæc, inquam, omnes invicem vovemus ſanctâ illâ & prudenti ſimplicitate, hoc eſt, *Conſtanter & Sincerè.*

Quis verò ad hæc idoneus? Quare in precibus ad Deum ſubſiſtamus. Vos, quæſo, me præeuntem juvate, promovete.

Æterne, Clementiſsime, & Omnipotens Deus; Pater miſericordiarum, à quo omnis donatio bona, & omne perfectum donum eſt ſupernè deſcendens, te ſupplices precamur; Pro ſumma tua gratia & εὐδοκίᾳ *in Filio illo tuo, illo dilecto, intuere faciem Chriſti tui? miſerere noſtri, peccata nobis remitte, iram promeritam averte, juſtitiâ nos ipſius indue, donis neceſſariis inſtrue; atque ita, quaſi cœlis apertis, nobis quoque luceat facies tua, & ſervabimur.*

Et tu, Fili ille Dei, Immanuel, verè Ieſum ac Chriſtum te nobis oſtende; atque ita verbum Evangelij Pacis nos doce; Redemtionis tuæ beneficium nobis applica, & ad Patrem pro nobis intercede; Unctionis nos tuæ redde participes, Spiritu tuo rege, & ſalutem nobis à te partam ipſe quoque perfice.

Et tu deſcende, Veni, atque Mane nobiſcum, Sancte Spiritus; & Emitte cælitùs Lucis tuæ radium; Per te ſciamus da Patrem, noſcamus atque Filium, te utriusque Spiritum credamu.

damus omni tempore; Tu Spiritalis unctio, & ſeptiformis munere, accende lumen mentibus; infunde amorem cordibus; Infirma noſtri corporis Virtute firma perpeti: Columbas nos tibi efficias; Hoſtem propellas longiùs; Pacemquè dones cælitus; Ductore ſic te prævio, vitemus omne noxium.

O Deus Triune, qui Confœderati Belgii Provincias, & noſtras in iis Eccleſias & Scholas inſtar torris erepti ex incendio hactenus clementer conſervaſti, eaſdem, & nominatim hanc Provinciam ceu pupillā oculi adverſus omnem vim & tyrannidem hoſtiū brachio forti tuere ac defende. Potentiſsimos DD. Ordines Generales; Utrumque Celſiſſimum Principem Auriacum, Patrem & Filium; Illuſtres & Præpotentes Ordines ac Proceres hujus Provinciæ; Nobiliſſimos & Ampliſsimos hujus Academiæ Curatores; omnes Groningæ & Omlandiæ Magiſtratus; Omnes Mæcenates & Fautores; omni ſingulos virtute accinge; pace ac concordia devince; longævos & feliciſsimos Eccleſiarum & Scholarum, nominatim Academiæ, Nutricios effice; Benedictione omni perfice, fortuna, bea.

Eccleſias & Scholas alibi collapſas & diſſipatas vindica & reſtitue. Noſtras, adeoquè & hanc Academiam magis magiſquè conſerva, & ampliſſimam fac officinam Sancti tui Spiritus, ut omnes te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, tanquam ſanctæ Columbæ, agnoſcant, doceant, diſcant, colant.

Atque ita hunc etiam tuum Servum de cælis Gratiâ tuâ

D *intuere*

intuere, & in Chriſto amplectere: Spiritus tuus in ipſum quoque ab illo unico Capite & Fonte deſcendat; pro menſura gratiæ & voluntatis tuæ eum donis neceſſariis inſtruat; atque ita eidem ſemper adſiſtat; tanquam Columba tibi conſecrata, Conſtanter & Sincerè, *ſanctâ ſimplicitate, recto curſu progrediatur, fidem ſervet, certamen præclarum decertet; in te uno requieſcat, ne erubeſcat, ne ſuccumbat.*

Exaudi nos, ô Deus; atque ita & nos omnes, quandocunque tibi placuerit, ex hac militiâ gementes ad te in cæleſtem illam πανήγυριν *ac* Univerſitatem *evoca, in te futuros pleniſſimè edoctos ac beatos, adeoquè perfectiùs celebraturos te Benedictum in æternum! Amen!*

DIXI.

Soli Deo,

Patri & Filio & Spiritui Sancto,

Laus & Gloria!